Supini, ὑψοώχενες. 20,20.
Surge carnifex: Mæcenatis ad Augustum dictum. 7,8.
Συμβιοται principum. 6,5.

T.

Tacitus aliter lectus. 3,23.
Τὰ ἔνδον & ἔξω in hominis vita. 17,1.
Tangere latus. P.3.
Tarentinum fœdus. 10,9.
Tarutius Mathematicus. 4,2.
Terentia Mæcenatis uxor. 27, . mulier morosa, sed formosa. ib. 8. ejus litigia cum marito & divortia. ib. 11. cum Augusto amores. ib.20.
Terentilla, ὑποκόρισμον à Terentia 27,19
Tertius Persannius, Notarum inventor. 26, 4.
Thema genethliacon Mæcenatis. 4,9.
Thrasyllus Rhodius Mathematicus. 4,8.
Θρόνα. P.7.
Tiberii Imp. liberalitas laudata. 5, 27. simulatio. ib. 32. in Mæcenatis hortos secessio. 28,19.
Tiberius antiquarius. 23,5.
Triennii silentium in sanguinis sputo. 1, 12.
Trimalcio. 20,9.
Tullius Tiro Notas præpositionum invenit. 26,4.
Turris Mæcenatica. 28,11. ejus rudera. ib. 28.
Tuscus amnis pro Tyberi. 2,20.
Tybris Lydius, Tuscus. 2,17. *Mæcenatis paternum flumen*. ib.21.
Tyrrhenus rex Etruriæ. 2,9.

V.

Valerius Probus de nomine Mæcenatis. 4, 19.
Valerius Proculus, Virgilii frater. 16,2.
Varices, quid. 5,42.
Varicosi, an sani. 5,42.
Varius Mæcenatis amicus. 18,10.
Varro Romanorum doctissimus. 4, 20. ex Plinio illustratus. ib.23.
Vellem mori! P.10.
Vibidius Mæcenatis parasitus. 21,25.
Victorum remissiones post debellata bella. 22, 19.
Virgilius hæredes scripsit Augustum & Mæcenatem. 16,2.
Virorum illustrium vitas scribendi mos.
Virtus sibi ipsi pretium. 1,26.
Visci fratres Mæcenatis amici. 18,10.
Vita mortuorum sita in memoria vivorum. 1,25.
Vitarum scriptores multi. 1,4.
Vitellii Imp. liberalitas culpata. 5,27.
Vitia aliorum ut notanda. 22, 2. eo conspeciora, quo homines majores. ib.32.
Vitiis nemo caret. 19,4.
Vmbra, parasiti. 21,14.
Volturenus rex Etruriæ. 2,9.
Vomere, singulari significatu. P.2.
Vranius philosophus Chosrois regis ὁμοτράπεζος. 6,6.

Y.

Ὑψοώχενες, *supini*. 20,20.

FINIS.

(HB 28) 5

6.

SEPTUAGINTA

Graves & arduæ Rationes,

ob quas

REGEM POLONIAE

Nec non Senatores & Nobilitatem Regni Defensioni, in Hungaria, Bohemia, & alibi locorum inevitabili necessitate susceptæ, non adversari, neq; committere decet, ut huic negotio implicentur.

Quarum nonnullæ ad Regem à Dn. Generali missæ,

Postea verò à Generoso quodam, Deo, Regi, & Patriæ fideli Polono, pacis avido, auctæ,

&, informando unicuiq;, Germanica & Latina lingva publicatæ sunt.

Thucyd. Lib. 2.

Stultum est movere bellum, si florente statu liceat retinere pacem.

(Pordenii 1619)

Proverb. 1. ℣. 10. & sequent.

Fili mi, si pellicere Te volent peccatores, ne acquieſcito. Si dixerint, veni nobiscum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus nos contra innocentem impune: Abſorbebimus eos velut ſepulchrum vivos, & integros, ut deſcendentes in foſſam. Omnem ſubſtantiam pretioſam conſequemur, implebimus Domos noſtras ſpoliis. Sortem tuam conjicies inter nos, marſupium idem eſto nobis omnibus. Fili mi, ne ambulato viâ communi cum illis, cohibe pedem tuum à ſemita illorum. Qvia pedibus ſuis ad malum concurrunt, & feſtinant ad effundendum ſanguinem.

Ad SereniS. & PotentiS. REGEM SIGISMUNDUM III. Dominum meum ClementiS.um

CLEMENTIS. REX & DOMINE, *inſtigant me & compellunt cùm Conſcientia mea, Religio Catholica, & Juramentum M.ti T.æ à me præſtitum, tum Majeſt.is T.æ nec non Sereniſſ.æ Conjugis & Regiæ Prolis propria ſalus, Regno impendens periculũ, innocentium ingens, qvam metuo, calamitas, & deniq; vetuſtæ noſtræ hactenus conſervatæ libertates, ut M.ti T.æ præſentem non modo intempeſtivam, ſed etiam ſummè noxiam, in M.is T.æ & Regni noſtri perniciem atq; interitum paratam expeditionem adverſus Hungariam, Bohemiam, Sileſiam, & reliquas fœderatas Provincias, quæ neq;, Nos neq; Regnum, & incolas ejus ullâ injuriâ læſerũt, mul-*

tò minus hujusmodi hostilitati causam dederunt, fideliter dissvadeam, & Septuaginta *gravissimis rationibus, quid hac in re maturè & probè perpendendùm sit, eâ, quâ par est, subjectione, ad animum revocem. Quod si hæc apud M.tem T.m aliquid proficient, polliceor M.ti T.æ & regno huic pacem & salutem: secus testor coram* Deo, *M.te. T.æ & toto Christiano Orbe, me conscientiam cladium illarũ, quæ nos obruent, immunem gerere. Deus & in hoc & futuro seculo deleat & evertat omnes illos, qui consilio & operâ bellum hoc promovent. M.m T.m Dei Omnipotentis tutelæ commendo, qui, ut Princeps Pacis, M.ti T.æ consilia pacifica instillet, secus vero, omne futurũ malum in Authorum capita redundare faciat.*

Posonii *die Martini, Anno* M. D. C X I X.

M.ti T.æ

Subjecti S.us

D. R.

PRIMA RATIO.

OMnibus sanis hominibus maximopere delirare semper visus fuit, quicunq; alienæ rei patrocinium temerè susceptit. Quid ergò de nobis Polonis exteros Principes sensuros existimemus, si Austriacis aures præberemus, & ausu planè temerario alienissimis turbis nos implicari pateremur? Profecto nobis occinerent tritum illud: Stultum est, immiscere se rei, ad se non pertinenti.

II.

Sapientis non est, extra casum necessitatis & licitæ defensionis, periculo se committere: quoniam & vincere non est in nostra potestate, &, ut infra dicetur, anceps omne certamen: Quietum igitur & pacatum Statum, causis nullis urgentibus, cum periculoso & perturbato, imò etiam publico longè lateq; dispersо, formidabili, &, ut rem natam videmus, diuturno bello commutare, est hominis non sanæ mentis.

III.

Omni negotiationi & commerciis viam intercludere, agriculturam deserere, parata consumere, aut Martialibus istis Harpyis in prædam concedere, quid aliud est? quam extrema pernicies, & certus Regni interitus,, quod quidem bello suscepto evenire necesse est.

IV.

Regno ſemel turbato non facile pax reſtituitur: Mala malis ſibi invicem, perpetuo quaſi nexu juncta ſuccedunt. Pugnam quippe cum Lernæa hydra bello ſuſcepto ſuſcepiſſe videmur, cui, capite uno reſecto, aliud aliudq; duplicatur, & accreſcit. Bella ſubinde ex bellis naſcuntur, donec tandem alterutrius calamitas finiat, quæ prius neq; ratio, neq; æquitas, terminare poterat.

V.

Delirantis eſt, in aliorum & eorundem quidem gratiam, à quibus hoc ipſum Regnum non levi damno adfectum eſt, Seipſum, Uxorem, Liberos & univerſos poſteros certo periculo objicere.

VI.

Nos Catholici feliciſſimè omnium in Polonia ſtamus; ſi bellum ſvadetur, ſummo periculo Nos ipſos exponimus. Non facile eſt æquâ commoda mente pati.

VII.

Rex patrium & hereditarium Regnum Sveciam jam olim ob Religionis perſecutionem perdidit; ſi his quoq; turbis ſe immiſcet, etiam Polonia perdi periclitatur.

VIII.

A multis externis hoſtibus undiquaq; cingimur, Tartaris nimirum, Turcis, Moſcovitis, Succis. Jam ſi & Hungaros, Bohemós & reliquas fœderatas Provincias in Nos irritamus, inſtar lupi in fovea circùm claudimur, & ab omni latere quaſi capti obſidemur.

IX.

Nos Proceres & Nobiles ipſi inter Nos diſſidemus. Hinc facillimè fieri poſſet, ut, bello non neceſſario ſuſcepto, ſtatus publicus in periculoſas inteſtinorum motuum turbas degeneraret: Diſſidium Domeſticum ſemperfuit exitiale venenum in Imperiis.

X.

Quod ſi ſucceſſus conatui reſponderet, ut late Victores Familiæ Auſtriacæ Provinciis recuperandis præſto eſſemus, nihil tamen lucri inde ad Nos proficiſceretur. Dum enim aliorum Principum Regna per nos pacata eſſent, noſtrarum interea facultatum jacturam faceremus. Bellum nullum tam feliciter ceſſit, quin plus mali, quam boni intulerit.

XI.

Victis vero nobis, cùm Rex, tum Regnum, in prædam omnibus Vicinis paterent,

XII.

Locuples teſtis omnium temporum hiſtoria eſt, bella, nullo cogente ſuſcepta, nequaquam fuiſſe felicia. Itaq; nobis ipſis imputare haberemus, ſi auſus noſtros extremum exitium, digna ejusmodi temeritate merces, ſubſequeretur. Prava & temerè ſuſcepta conſilia duri infauſtiq; exitus plerumq; è veſtigio ſequuntur.

XIII.

XIII.

Catholica Religio, quæ hactenus tanto fervore propagata fuit, facilè posset jacturam facere, abrogata semel, non ita facilè rursùm admitteretur.

XIV.

Libertates nostræ, quas hactenus præ reliquis Provinciis conservavimus, eoq; nomine maximè semper celebres fuimus, in intolerabiles angustias & afflictiones converterentur.

XV.

Ea non est potentia Regni Poloniæ, ut par esse possit tot hostibus, Turcis, Tartaris, Muscovitis, Suecis, Hungaris, Bohemis, fœderatis Imperii Principibus & Civitatibus.

XVI.

Totum Regnum hostium invasioni patet, nulla nobis propugnacula, loca nulla in hostium terrorem munita, quæ res facit, ut difficillimè defendi possit.

XVII.

Cæteræ Provinciæ res suas ita jam ordinarunt, ut lacessiti unicè cogitent, quomodo sedem belli in Poloniam transferte possint, quo ipso nos innocentes, belli tamen quasi Authores, alienâ ambitione peribimus. Omnium quippe bellorum fuerunt tales exitus, ut deleti & eversi sint ad extremum belli Authores.

XVIII.

Austriaci ejusmodi damnum regno huic nunquam sarcirent. Quid? quod neq; è Nobilitate quisquam peregrino Jurisdictionem suam absq; cautione facilè indulget: Nos ergo totum Regnum Austriacorum libidini absq; indemnitatis cautione prostituere velle, extremæ essent dementiæ.

XIX.

Consumto Regni thesauro, & exhaustâ Viris & opibus Patriâ (quod quidem Moscovitico bello cepit) hostili irruptioni ansa daretur, quam procul dubio & illæ Provinciæ, quas bello premeremus, promoverent.

XX.

Fieri etiam haut difficulter posset, ut, si consilia nostra infelix exitus frustraretur, alius Regum utpote Hungarus, Suecus, vel Bohemus Regnum hoc affectaret, atq; etiam à nonnullis ex Ordinū numero, quos Jesuiticum jugum immane afflixit, ad id perduceretur. Rex vero & heredes Regno semel exuti, neq; hoc neq; alia facile consequentur.

XXI.

Hungari & Bohemi Justissimam causam adversus Austriacos defendunt, quippe, qui omnem libertatem & leges fundamentales evertere, & regnum, cui liberæ electionis jus competit, hereditario jure sibi vendicare voluerunt, quemadmodum liquidò apparet ex rationibus, Germanicâ & Latinâ lingvâ publicatis, quæ ego non modo oculis usurpavi, sed etiam exactè perpendi. Fateor, me hercles, tanto pondere eas niti, ut qui de electione novi Regis à Provinciis fœderatis instituta aliter sentiat, is nihil omnino sensurus esse videatur. Ita profecti animum induco meum, si nos à Rege nostro tantoperè affligi contingeret Num. 1.

quemadmodum Bohemiam & incorporatas Provincias, nullum fore in universa Polonia, qui non omnes cogitationes suas, omnemq; animi mentem ad ejusmodi mutationem converteret Nobis itaq; contra publicum jus & æquitatem belligeraturis, nihil victoriarum, sed adversa omnia exspectare licet.

XXII.

Quid? quod etiam editis libellis & quasi in theatro totius Europæ violati Jurisjurandi & promissorum Ferdinandus Imperator accusatur? cui si opitulabimur in ejusdem criminis societatem veniemus.

XXIII.

Sed & hæc Nobis suspicio necessariò injiceretur, quoniam Rex noster ea armis asserere pararet, quæ Ferdinandus infirmandis Regni Bohemiæ privilegiis, & evertendo ejusdem veteri formæ statu patrasset (quippe qui non modo cum Hispano insciis Ordinibus Regni ejusmodi pactis transegit, quibus liberæ electionis jus infringere, Provincias hereditarias facere, & absolutum Dominatum cum inquisitione Hispanica introducere conatus est: Verum etiam in atrocissimo hoc bello tam horrendâ & prioribus seculis incognitâ crudelitate in Provincias sæviit, ut, neq; Turcam tanto furore debacchatum fuisse, literæ publicæ conquerantur) ne, si victoria ad Austriacos inclinaret, eadem in Nos statuerentur, & ad imminuendam veterem libertatem nostram intolerabili Imperio occultis molitionibus paulatim gradus struerentur.

XXIV.

Fœderibus seu pactis adversaretur hoc bellum, qvæ, quæ, intuitu Provinciarum icta, procul dubio à Nobis frangerentur. Non enim tam cum familia Austriaca, quam cum Provinciis facta sunt, quemadmodum ex ipsis Pactorum literis, ab Imperatore Matthia & Sigismundo Rege ad uniuscujusq; noticiam & decentem observantiam Anno 1613. publicatis, videre est; Quibus ab initio statim Imperator amicabilem conventionem inter Se & Regem Poloniæ celebratam significat, ut vetera Suorum, & Suæ Serenitatis laudatissimorum Prædecessorum, inter utriusq; Regna & Provincias instituta Compactata renovarentur, roborarentur & confirmarentur. In hunc sensum & Regem nostrum Silesiæ Duci scripsisse recordor, arctissimam il- *Num. 2. & 3.*
lam necessitudinem ipsas Provincias concernere. Conjunctionem hanc sanctè servandam agnoverunt An. 1587. & 88. Status Bohemici, Regi Rudolpho, Maximilianum Fratrem obtrudere Nobis volenti, copias auxiliares denegantes. Satius esse decreverunt, Imperatoriam Majestatem justâ postulatorum recusatione offendere, quàm vulneratâ conscientiâ fœderatis vim inferre. Idem & Nobis laudi verteretur, Bohemorum benevolentia nostrâ potius beneficentiâ recompensari deberet, quàm obliterari silentio. Paria paribus referri, grata semper benefactorum memoria postulat, mutuus requirit amor, jubet æquitas, dictitat ratio: Quare cum & de Regis nostri, & Imperatoris, Compactata omnium optimè interpretantium, mente Nobis constet, nugis decipi, fabulis regi certum est, quibus non de Provinciis loqui Pactiones illas persvasum. Vicinitatis jura violant, fœdera rumpunt, Bellum Bohemis, vel Silesiis, fœderatis & vicinis nostris amantis-

amantissimis, optimè semper de nobis & regno nostro meritis, indicendum esse, quicunq; existimant.

XXV.

Nos Poloni ab his Provinciis ne minimâ quidem hostilitate provocati sumus, sine causa vero hostem induere, summæ est & injustitiæ & insipientiæ. Hinc verum illud Valentiniani Theodosii effatum: Aciem non armis, sed justis causis stare. Nemo igitur propriæ potentiæ fiduciâ res periculosas & non necessarias suscipiat, cum tentare & suscipere non necessaria nihil aliud sit, quam DEUM tentare.

Iniqua bellans bella, salvus haut redit.

XXVI.

Excusatio vero ista, quasi nobis nihil cum hac re commune sit, sed Archiducum auspiciis miles conscribatur, fucus est, cum secundum veriverbium, Causam damni dans, damnum dedisse videatur. Nam & in omittendo & committendo peccari solet, & eidem crimini se obligat, qui operam ad id suam confert, ac ipse, qui committit. XXVII.

Neq; tantum videndum est nobis, quomodo in potestate nostra sit facere incendium, verum etiam considerandum, ne postea impares simus compescendæ & extingvendæ flammæ à nobis excitatæ. Exploratum enim & compertum habemus, omne bellum sumi facile, cæterũ ægerrimè desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse. Incipere quidem cuivis, etiam ignavo licet, deponere, cum Victores velint.

XXVIII.

Inprimis etiam cogitandum est, si hostis vicissim in Poloniam irruat, num Austriaci rebus ita comparatis ullas nobis suppetias ferre possint.

XXIX.

Cum in Polonia Racusani turbas excitarent, subduxerunt se Austriaci, neq; Regi opem tulerunt, itaq; Rex paria facere, & justâ excusatione uti posset.

XXX.

Et quamvis spe quadam Silesiæ rursus Regno Polonico hac occasione asserendæ delinire nos forte velint, sciendum tamen est, tam Regem quam Proceres illi in perpetuum renuntiasse, quod ex adjunctis exemplis Num. 4. & 5. videri potest Sed concedamus Austriacos superiores forè, num vero Silesiam nobis restituent? Sin vero occumberent, tum nobis perpetuo bello involutis cum omnibus fœderatis Provinciis cum Regibus Hungariæ & Bohemiæ eorumq; sociis absq; missione pugnandum foret, & facile nobis idem evenire posset, quod Cani Æsopico, qui umbræ inhians, carnem quoq; perdidit. *Num. 4. & 5.*

XXXI.

Egregiam vero laudem ubiq; reportaremus, nimirum nos esse ejusmodi homines, qui susq; deq; haberemus fœdera rescindere, ea, quibus renunciassemus, repetere, syngraphas infirmare &c. An vero ultrices illas Furias nobis effugere liceret? quæ Vladislaum Hungariæ & Poloniæ Regem pessumdederunt, qui instinctu Pontificis fœdifragus Tureæ factus perjurii pœnas in ætatis flore trucidato, satis grandes exolvit.

XXXII.

Præterea Bohemi & Nos ab eadem origine censemur,

ſemur, fratribus nimirum Czecho & Lecho. Principes quoq; Sileſiæ genuini ſunt Poloniæ Regum heredes. Horum ad exitium ſine juſta cauſa ferri, nihil eſt aliud, quam in propria viſcera ſævire.

XXXIII.

Bellum potiſſimùm ſvadent è Scholis Jeſuiticis educti, militaris ſcientiæ ignari, armorum gerendorum imperiti, quibus nullus unquam hoſtis obviam factus, quorũ conſilia magis in theoria quam in praxi conſiſtunt; hæc enim ſemper eſt Periculoſæ plenum opus aleæ. Horum libidini ſi ancillabimur, jam nunc propinqvum interitum noſtrum mente prævideo.

XXXIV.

Male cupiens Poſteris ſuis omnem ſuam proſperitatem ancipiti ſorti inconſideratè committit: Bene igitur Rex noſter Poſteris ſuis velle non poterit, Regiam ſuam Dignitatem, Conjugem, Prolemq; Regiam incertis Fortunæ velis cœco ad bellum impetu commiſſurus.

XXXV.

Rex Tutori comparatur, qui ut pupillorũ ſuorum rem meliorem facere tenetur, deteriorẽ neutiquam, niſi ſuo periculo: Ita Rex etiam & poteſt & debet ſubditorum ſalutem promovere, periculis eam ubi exponit vel objicit, ipſe, & proprio quidem damno, tenetur.

XXXVI.

Unicuiq; non modo Principi, ſed homini notum eſt, & ex hiſtoriis liquet, non eandem familiam ſemper rerum potiri. Deus enim aliquam nunc ad tempus evehit, nunc viciſſim occidere permittit, aliam interea producens, quã in prioris vicem ſubſtituat. Itaq; verum eſt illud Viri Sapientis reſponſum, qui interrogatus, quid rerum Deus in cœlo ageret? Ollas, dixit, veteres confringit, & ex fragmentis novas conficit. Hinc illud Danielis 2. v. 21. & 22. Ipſe eſt, qui tempus ponit omni Regno, quamdiu durare debeat. Cui adfine eſt illud, quod idem Balthaſari, in quo Monarchia deficere, & ad Darium transferri debebat, inculcavit: Deus Regnum tuum numeravit, & perfectiſſimè illud numeravit. Altiſſimus eſt, qui de Regnis Mundi diſponit, & donat, cui vult. Ita unicuiq; familiæ fatalem ſuam Periodum deſtinatam eſſe apparet. Fatemur ergo Auſtriacos bene longum tempus ſpectatiſſimè floruiſſe, ſi forſan Periodus illorum ad occaſum properet, & mutari laboret, certè Nos Poloni nullâ vi impediemus, quo minus divina potentia decretum ſuum exequi pergat. Intuentes hiſtorias à prima antiquitate, reperimus inſigniores etiam & potentiores familias quingentos annos vix floruiſſe, plurimas hunc terminum non attigiſſe, pauciſſimas ſuperaſſe, ſed in quingenteſimi anni momento aut propè incidiſſe plerumq; mutationes, quibus vel preſſæ, vel deletæ funditus, vel aliò translatæ deſierint.

XXXVII.

Quo-

Quotidianâ experientiâ edocemur, impeditis belli tempestate omnibus commerciis homines postea aliò se conferre, ubi necessaria vitæ subsidia comparare possint. Hinc fieri amat, ut etiam pace Provinciis assertâ & rebus tranquillatis, negotiatio tamen vel tota, vel maximam partem deficiat, eoq; difficilior modus se colligendi causetur.

XXXVIII.

Cætera Regna & Provinciæ & domi præclarè constituta, & foris cum Anglis, Danis, Svecis, Sabaudis, Belgis unione Imperii, imperialibus & maritimis civitatibus aliisq; arctissimo fœdere sunt conjuncta. Hoc vero Polonicum Regnum neq; domi benè ordinatum est, & intestinis Evangelicorum, Procerum & Nobilitatis discordiis concutitur, neq; pacem cum Vicinis colit. Si itaq; cum iis etiam Provinciis, quibus cum pacta nobis intercedunt, bello contendemus, nihil aliud, quam certum Regni interitum augurari fas est.

XXXIX.

Idcirco autem periculosior hujus belli alea futura videtur, quia jurejurando amplissimo ita sibi invicem devinctæ sunt Provinciæ, ut ad desperationem eas adactas esse appareat. Bella autem cum desperatis plerunq; sunt infelicia. Quod exemplum Regis Johannis in prælio Pictavensi satis ostendit: qui seipsum, vitamq; suam ac decus Nobilitatis totiusq; imperii fortunas ancipiti prælio commisit, nec hostibus pacem petentibus, modo impune Regni finibus excedere liceret, indulgendum putavit. Quid? decem circiter millia desperatorum hominum quadraginta, quinq; millia fugarunt, & Regem captivum abduxerunt.

XL.

Præterea Proceres quidam, Regis intimi, omnes Nos literas celant, ut hoc modo ad caput & fundamentum causæ penetrare non liceat. Omnia hæc secundum occulta Jesuitarum & eorum Discipulorum consilia expediuntur, qui majorem exterorum Principum, quam Regis sui curam gerunt, & unicè ad eversiones Regnorum, ad stabiliendam vero imaginariam Hispanorum Monarchiam, sua convertunt consilia. Hinc Ao. 1607. è præcipua Nobilitate Polonus quidam consilium de exterminandis è Regno Jesuitis saluberrimum, typis expressum publicis, Illustribus Regni Proceribus considerandum obtulit: quo multis & maximis demonstravit Argumentis, neq; pacem certam, neq; publicum Poloniæ bonum consistere posse, quamdiu Harpyiæ istæ tolerentur.

XLI.

In bellis usitatissimum & hoc est, ut dissimulatis & suppressis veris armorũ causis prætextus saltem indicentur. Quemadmodum & de hoc Nobis proposito bello speciosè & multo verborum apparatu disseritur, Regem ipso jure & vi pactorum compelli, ut Adfines suos in angusta eorum fortuna adsertum eat, adversus rebelles Hungaros, Bohemos, Silesios, quanquam nullius rebellionis convictos. Et hoc fucato Schemate Senatoribus, qui bello injusto fortiter & sapienter reluctantur, imposituros se sperant, ut victi ejusmodi

rationibus armis capessendis assensum suũ præbeant.

XLII.

Nam & istud validum bello persuadendo argumentũ esse putant, quod horribile hoc figmentũ Nobis probari posse existiment, in Bohemia, Moravia, Silesia omniũ consilia ad tollendam religionem Catholicam & confiscanda bona Ecclesiastica collimare. Sed refutant hoc argumentum cum capita fœderis Bohemici, tum novi Regis FRIDERICI edita ob acceptatum Bohemiæ Regnũ Apologia. Et ea inprimis, quæ in Provinciis fœderatis cum Catholicis, qui fœderi sc juramento obstrinxerunt, gesta sunt, cũ non modo tolerentur, sed etiam omnis injuria ab iis defendatur, modò non propriâ suâ culpâ beneficio tanto excidant. Itaq; tantum hæc, quæ dicuntur, pedicæ sunt, Nobis irretiendis positæ. *Num. 6.*

XLIII.

Ex fœdere An. 1573. d. 28. Jan. Warsaviæ icto, non tenemur Nos immiscere ejusmodi bellis, ob Religionem susceptis, sed magis obligamur resistendis in Regno persecutionibus, Religionis causa exortis, ut patet ex adjuncto exemplo Num. 7. *Num. 7.*

XLIV.

Neq; illud Nos moveat, aut in errorem impellat, quod Episcopatus Silesiæ à Polonis fundatus esse dicitur. Non quidem nego illum Smogræ à Miesslao institutum fuisse, ad Silesiam tamen nunc pertinet. Schola saltem isthic primum fuit, primusq; Episcopus Doctor, qui Pietatis semina ignaris Christianissimi instillavit. Eundem postea reditibus, oppidis, cæterisq; bonis liberaliter dotarunt Jaroslaus, Henrici, aliiq; Silesiæ Duces, Principum, qui nunc florent, Lygio-Bregensium Majores, qui & ipsi è Regio Polonico sanguine oriundi sunt, quemadmodum docetur, Num. 8. & 9. *Num. 8. & 9.*

Tandem cum Silesia & hic Episcopatus à avulsus fuit, Bohemiæq; Regibus adhuc hodie subjacet. Falsissimum igitur est, quod de Polonorum jure, etiamnum durante, asseritur. *Num. 10. & 11.*

XLV.

Cum belli Moscovitici libidine pruriebant Pacis publicæ Turbatores, singulari Prætextu utebantur: asserebatur enim, Ducatum Smolenskiensem & Senerskensem, ad Poloniam pertinere, vindictam quoq; profusi sanguinis Polonici jure merito exigendam esse. Aureos præterea montes Nobis pollicebantur, & veluti Sabini, qui, quod volunt, somniant, novum imperium somniantes, totam Moscoviam impotenti spe devorabant, cujus Nos omnes Reguli destinabamur. Eadem fabula in hoc bello agitur. Vratislaviensem Episcopatum immediatè Regno nostro deberi existimant, reliquos Silesiæ Ducatus, à Nostris olim Regibus Bohemorum Regi concessos (ut Ratione 30. demonstratum) novis nunc literis denuo Nobis offerri credunt, quibus facta Polonis potestas, Silesiæ Principes suis è sedibus ejicere, horumq; ut Rebellium, Ducatus in prædam assumere, tamq; diu possidere, donec præter splendida donaria, de belli suscepti sumptibus satisfactum. Filiorum Regis Rationem haberi posse, præsenti occasione putant, quos ingen-

tium Terrarum Dominos delectabili opinione constituunt. Feudis etiam Ducalibus ornandos esse judicant, quorum opera præter cæteros in sacro hoc bello spectata: Quemadmodum hæc omnia legere licet
Num. in magni Statuum Silesiæ Principis Epistola, classici
12. instar obtinente.

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit Auceps.
Sed non Ego credulus illi.

Quis damnum sarciret, si præconcepta spes Nos destitueret, & naufragium omnium fortunarum nostrarum faceremus. De hoc altum est silentium. Levissimum hominem esse oportere, Augustus Imperator dixit, qui spe victoriæ, aut laureolæ, è sterilibus foliis plexæ, ad arma rueret, & periculis se objiceret. Principes Svetonio teste, minima commoda ingenti sectantes discrimine similes esse ajebat aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nullâ capturâ pensari posset. Rectè Livius: Melior tutiorq; est certa pax, quam sperata victoria, illa in tua, hæc in Deorum manu est: Melius esse existimo, jura intacta servare, quam vulneratâ jam causâ remedium quærere. In aliis rebus si quid erratum est; potest postmodum corrigi; præliorum delicta emendationem non recipiunt.

XLVI.

Appello hîc sinceram uniuscujusq; sinceri Poloni, cujuscunq; Religionis sit, Conscientiam, dicat quisq; si è Nostratibus aliquis literis similibus Principem quendam peregrinum in Nos irritaret, viam hosti suscitato monstraret, qua Patriam nostram longè charissimam invadere, eandem vastare, & pessundare posset, an toleraremus hominem furibundum? Non opinor. Universum Regnum Turbatori ejusmodi publico, vigore Warsaviensium pactorum, Numero 7. allegatorum, adversaretur, jure meritoq; bona ejus omnia confiscaret. An ergo quicquam præter jus fasq; Silesiæ Status facturos existimandum est, si in hoc tam grande delictum animadvertent?

XLVII.

Nos Polonos An. Christi 805. Carolus Magnus illato bello devicit, & tributum Sibi pendendum irrogavit. Diligenter itaq; dispiciendum est, cum & novus iste Bohemorum Rex Fridericus è Caroli Magni prosapia descendat, ne ipsimet temeritate nostra periculum Nobis creare, & alterum Carolum Magnum excitare velle videamur.

XLVIII.

In hoc Regno horrendæ Idololatriæ & humana somnia ita invaluerunt, ut habitâ etiam lege divinâ, non amplius Deus secundum præcepta sua, sed juxta hominum commenta colatur. Ob Idololatriam vero Monarchiam, Chaldæorum, ad Persas, & Samariæ Regnum ad Assyriorum Regem Salmanassarem justissimus Jehova transtulit, eandemq; ob causam tribus Judæ extincta, & Hierosolyma cum celeberrimo templo flammis ultricibus deleta est. Si Nos bello, quod jam geritur, involvemus, videre mihi videor occasionem, qua Deus etiam ob nostram Idololatriam justissimas à Nobis pœnas exigere possit.

XLIX.

Jure nostro constitutum, & in Warsaviensi confœdera-

deratione satis nobis Num. 7. provisum est, ne bellum, nisi in publicis Regni comitiis decretum fuerit, gerendum suscipiatur. Jam vero nulla comitia habentur, sed literis vota non omnium quidem Senatorum sed quorundam tantum seditiosorum colliguntur, quæ res quam bene tandem sit versura, ii experientur, qui suo sibi jumento malum accersiviſſe serò aliquando deplorabunt. Vid. Num. 13.

Num. 13.

L.

Sed quid ego de causis, quæ in regiis literis adversus Silesios allegantur, plura dicam?

Ad rebellionem quod attinet, nullius verè accusari, convinci multo minus possunt. Ut Ratione 21. videre est. In fœdus etiam cum Bohemis vi aliarum pactionum, quæ augustæ memoriæ Cæsares duo Rudolphus & Matthias confirmarunt, necessario coeundum fuit.

Neq; Catholicam Religionem oppugnare dici possunt, qui tantum in Turbatores pacis publicæ ex literarum Majestaticarum indultu animadvertunt, ut Ratione 42. ostensum.

Impia vero vel iniqua fœderis istius capita non esse, vel hinc liquet, quod Clerus Cathedralis Ecclesiæ Vratislaviensis non modo ea ut æqua & necessaria coram Principibus, Ordinibus & frequenti Populo prædicaverint, sed etiam iis observandis liberè & incoactè juramento se obligârint.

Quod deniq; ajunt Episcopatum Vratislaviensem à Vladislao fundatum esse, atq; etiamnunc Archiepiscopatui Gnesensi subesse, id manifesto falsum esse Ratio 44. demonstrat, Juramenta, fidelitatis, quæ Bohemorum Regi Episcopi semper præstiterunt, ipsi etiam Canonici testantur. Vereor ego, nisi falsos prætextus à veris segregabimus causis, & ab alienis abstinebimus, ne cum Camelis cornua appetentibus, etiam aures amittamus, & mota hac Camarinâ tam horrendis malis undiquaq; obruamur, ut pœnitentiæ postea locus esse non possit.

L I.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est, ideoq; sæpius fieri solet, ut iis in locis, quibus destinatum erat, neutiquam geri possit. Nusquam enim minus, quam in bello, eventus respondent, quod minimè omnium ex decretis procedit, ut toties de suo Regno atq; imperio quisq; periculum faciat, quoties ad pugnam exit. Itaq; quicquid præter opinionem in eo evenire potest, priusquam ingrediaris, considerare, & omnia Fortunæ lubrica animo præmeditata habere Te oportet. Albertus Bavariæ Dux partâ victoriâ præclarè dixisse dicitur: Deo quidem beneficio, cui etiam gratias merito magnas ageret, se vicisse, nihil tamen consiliorum, quemadmodum prius secum constituisset, successisse. Quamobrem Nobis Senatoribus etiam atq; etiam deliberandum est, num frivolis rationibus in arma Nos propellere patiamur.

L I I.

Jam non modo apud Vulgum, sed & apud Proceres quosdam vehementi suspicione Rex laborat, quod, præter Jesuitas, homines exteros, viros profugos, sedibus incertis vagantes, consiliorum omnium Architectos constituat, pernicioſum quid consiliis subesse

ſubeſſe opinantur, quod non ſolum ad alias Provincias, ſed ad multos etiam Poloniæ Proceres, Evangelicos præſertim, pertinere videatur. Quorſum novus ille glorioſorum Militum ordo, gladio qui verberat auras, reſpicit, in quem pellicere Regem multi conantur? An non Evangelicorum, ut Hæreticorum, extirpationem aurei Velleris dignitas importat? E quo non mali minoris ſuſpicio exoritur, quam ſi vires eundo aſſumere contingeret, ingenti diffidentiæ feneſtra aperiretur. Novum non eſt, Reges Primoribus opprimendis intentos ſub ſpecioſo aliquo prætextu exercitum collegiſſe, ejusq; tandem ope Proceres ſuſtuliſſe. Sapienti ſatis.

LIII.

Huc accedit, quod ipſo jam facto multis in locis reformare Religionem Jeſuitæ inceperint, mandatis nituntur aulicis', meras minas ſpirantibus', Proceres hinc multi re ipſa jam afflicti & perturbati novorum facile Rakuſanorum habitu veſtiri poſſent. Bellum in Hungaria, Bohemia & cæteris locis, tuendæ Religionis ergo ſuſceptum, multis jam oculos aperit. Nobis tam ſecuris eſſe non licet, ut verendum non ſit, ſimile quid noſtro etiam in Regno ſuſcitari poſſe; ſi præſertim Evangelicis Sileſiæ Statibus bellum indiceretur. Mota Religionis anchora, navim ſimul Reipub. turbari, eleganter & prudenter Lipſius aſſerit.

LIV.

Multa etiam à Majoribus inſtituta, Politicum ſtatum ſpectantia, Jeſuitarum inſtinctu Rex mutavit, è quo fomite ſatis flammæ ſuppeteret ſuſcitando igni inteſtino. Quapropter ſatius eſſet Regi, Se totum ab externis bellis abſtinere, neq; hoc modo cauſam dare, ut ſubditi ad arma neceſſitate quadam compellantur, cum armorum tractatio homines reddat audaciores, & crudeliores, adq; novanda negotia, & turbandam quietem promptiores.

LV.

Neq; obliviſcatur Rex injuriæ, Polonicæ Nobilitati à ſe illatæ, quam, tot bonorum emptionem Jeſuitis indulgens, graviter imminui & debilitari paſſus eſt. Subditi vindictæ tabulas habere, & occaſione data paria referre conſveverunt.

LVI.

Sæpenumero valde conqueſtum fuit de inæquali juſtitiæ, ob Religionem, adminiſtratione. Teſtis vero eſt quotidiana experientia, fieri non poſſe, ubi juſtitia delinquit, & jus ſuum cuiq; non tribuitur, ut Pax conſtituatur; Cum ex hoc fonte horribiles turbæ & ſeditiones nullo negotio derivari poſſint.

LVII.

Princeps humanitati ſtudens, bellum maximè deteſtatur, cum bellarum non hominum ſit in mutuum ſævire exitium. Homo ſum, nihil humani alienum à me puto, Carolus Quintus Romanorum Imperator captivo Galliarum Regi ſcripſit. Arma hinc Auguſto tantopere inviſa fuiſſe Svetonius tradit, ut nulli Genti ſine juſtis & neceſſariis, magnis & graviſſimis cauſis bellum intulerit.

LVIII.

Quemadmodum Pax, cujus non modo nomen dulce eſt,

ce est, sed etiam res ipsa cùm jucunda, tùm salutaris, omnem statum & dignitatem conservat, ac tuetur; ita è contrario jacta belli alea sæpe uno die, horâ, vel momento, maximas Monarchias, Regna & Dominia, ut ut etiam munita, & supra hostilem vim posita videantur, diruere, & unâ ruinâ tota sepelire potest. Simul parta & sperata decora unius horæ fortuna evertere potest, Livius inquit. Hinc Augustum dixisse legimus: Longè majoris & laudis & momenti esse, Regnum bene partum pace & justitiâ gubernare, quam nova quærere & sibi subjugare.

LIX.

Inprimis etiam cogitandum est, ne dùm nos Christiani ad mutuum exitium & bella intestina velut Andabatæ ruimus, universi Turcis & Tartaris prædæ simus, qui proculdubio accuratè in has occasiones intenti erunt, quippe cum ferè totum Turcicum Imperium, Digladiantibus inter se cæteris Principibus, in tantam tamq; formidabilẽ magnitudinem coaluerit.

LX.

Sed à bello quoq; deterrere debet incredibilis avaritia & technæ turpissimæ Præfectorum quorundam militiæ, qui miris modis pecuniam Provinciis eripiunt. Sœpe enim multis militum millibus Stipendia numerantur, cum vix dimidia pars sit sub signis, & tamen fictis istis nominibus hostem egregiè propulsabimus. Certè hanc ob causam sæpenumero plurima Regna cum suis civibus ingenti damno adfecta esse constat.

LXI.

Eò etiam res rediit, ut Præfecti quidam bellici, instar hirudinum ærarii publici, Provincias depauperent, & suo tantum peculio consulentes, bella, quantum possint, protelent. Hinc Dux quidam præcipui nominis interrogatus, num vera essent ea, quæ vulgo dicerentur, Duces belli nostrâ tempestate gravatim & difficulter cum hoste confligere? Ita esse respondit, idq; tres potissimum ob causas:

Primò dixit, eos, qui bella moverent, bellorum rudes esse, ideoq; adversa uni Duci imputari.

Secundo requiri à Duce ut nullum discrimen defugiat, sed semper adsit ad exercitum, exemplo suo reliquos inflammet, &, ut de Catone Poëta scribit.

Ipse manu sua pila gerens præcedat anheli
Militis ora pedes, monstret tolerare labores:

Verum non minus vitæ suæ amore teneri Duces, quã alios. Tertio eò magis diteścere belli Præfectos, quo longius bellum protraheretur, eos vero, quorum auspiciis militarent, cum pecuniâ exhausti essent, pari facilitate bella finire, qua incepissent.

LXII.

Interdum & ipsi Duces exitiali discordia inter se dissident, quæ sæpenumero cum ingenti totius exercitus discrimine conjuncta multas rei præclarè gerendæ occasiones corrumpit.

LXIII.

Frequenter etiam Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, *Auferre mentem talibus primùm solet.* & in Regna animadversurus, Regum animos eò inclinat, ut quanquam meliora consilia videant, deteriora

ora tamen sequantur, ac veluti furiosi canes ad exitium suum præcipiti cursu ferantur. Ante fatales Imperiorum mutationes præcedunt ferè semper in animis Regum amentiæ, & cupiditatum implacabiles furiæ, quibus impelluntur, ut moveant vel irritent non necessaria bella. Itaq; Regis nostri summa necessitas non postulat, sed flagitat, ne salutaria consilia procul habeat, sed rebus ad amussim perpensis præclara ad pacem monita haut illibenter admittat.

LXIV.

Plenæ sunt exemplorum historiæ, in quantum sæpe discrimen Reges & Principes ob imperata multa & gravia tributa sese conjecerint, quanquam ea sæpius inevitabilis necessitatis lege fuerint exacta. Quam vero graviores rerum nostrarum turbæ in Polonia exspectandæ forent, si, bello nulla necessitate suscepto, exactionibus gravissimis premeremur?

LXV.

Stipendia milites conscripti exactè repetunt, deficientibus hisce vel non solutis, metus est, ne novam Fœderatorum congeriem excitemus, & noster exercitus in nostra viscera maximo nostro cum damno sæviat.

LXVI.

Adde, quod istiusmodi bello Prussia, quæ ab Alberto Marchione Brandeburgico Regno Poloniæ in tutelam & feudum nuper oblata fuit, revera autem ad Equites Teutonicos pertinet, ab hoc Regno iterum avelli posset, cum alias unaquæq; Provincia, quæ se saltem tutelæ alicujus commisit, cum omni jure & subjectione illorũ esse censeatur, ad quos pertinuit.

LXVII.

Inprimis vero Rex recordetur; plura sibi, quam Senatores & Nobilitas in Electione dederint, neutiquam licere posse.

Sed hujus officii sui lineas jam enormiter transiliit, quod clam Senatoribus Humanaio & Austriacis exercitum colligere permisit, & ita propemodum ad confinia periculi, intolerabili errore, Nos deduxit. Ejusmodi Regum lapsus magnam secum multorum ruinam trahunt.

LXVIII.

Hanc vero cladem Ipsi Nobis maturamus, dum initium belli adversus Provincias facimus, easq; provocamus. Provocans autem plerumq; vincitur. De Romanis affirmatur, quod omni caverint studio, ne priores ipsi aliis arma inferrent.

LXIX.

Non nego, summam inter Regem nostrum & Austriacos Affinitatis necessitudinem esse, Ea ne de causa bellum vicinis nostris movendum? Historiæ loqvuntur, ad jura sangvinis & amicitiæ, cum ita de Regnis agitur, nequaquam attendi. Nulla amicitia tam arcta, nulla familiaritas tam sancta est, quam animus regnandi cupidus non contemnat & violet. Jul. Cæsar ex Eurip. Si jus violandum est, Regni causa violandum est.

LXX.

Tandem deniq; anno superiore terribilem illum Cometam non sine horrore spectavimus. Elevent autem

rem quicunq; volunt hoc prodigium, audivimus tamen, quam subito postea Imperator Matthias, Uxor ejus & Archidux Maximilianus è vivis sublati fuerint. Tam mirabilis porro & intricatus rerum hactenus gestarum ordo fuit, ut nemo non videat, Divinum Numen magni quiddam moliri, & proculdubio insignem Terrarum Orbi mutationem portendere. Beatissimus itaq; omnium est, qui extra teli jactum constitutus ferales hasce turbas procul spectat, ut contra horribiliter insanit, qui, cum securo esse liceat, vel ipse execrabilis hujus tumultus pars esse gestit, vel in eum se ab aliis temerariè involvi committit. Quieti potius sedeamus, è longinquo ista intuentes, & judicia DEI cùm occulta cùm valde mirabilia cum reverentia expectemus.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!
Felicior, quem propria.
Felicissimus, qui in tuto navigat.

Philippo cum Græcis pugnaturo Diogenes in ejus castra pervenit, Perductus igitur ad Philippum, ac rogatus, num speculator esset? Stultitiæ, inquit Diogenes, vanitatisq; tuæ verus Speculator sum, qui cogente nullo de Vita & Regno, velut ad casum aleæ, periclitaturus venis.

Num. I.

Luculenta Demonstratio,

FERDINANDUM

Suo IPSIUS merito

Regno Bohemiæ
& incorporatis Provinciis
excidisse,
Auctior nunc edita.

Justus Lipsius.

Motâ Religionis anchorâ, simul turbata Reipub. navis.

Erasmus Roterodamus

Lib. 4. Apophth.

Antigonus Macedonum Rex conspiciens Filium suum eos, in quos habebat Imperium, ferocius tractantem atq; insolentius, An ignoras, inquit, Fili, Regnum nostrum esse splendidam servitutem? Nihil dici potuit cordatius: Nam Princeps non minus observire cogitur Populo, quam Populus Principi, nisi quòd Princeps id facit cum dignitate, alioqui re vera mutua servitus est.

PErspicuum est ex sacris & profanis historiis, omniumq; Regnorum & Provinciarum exemplis, nec non quotidiana experientia testatur, *Salutem & prosperitatem omnium Imperiorum duabus præcipuè rebus consistere; Cum nimirum leges, pacta, & privilegia sanctè custodiuntur, & liberum Evangelicæ Religionis exercitium, abrogatâ omni persecutione & sævitia, permittitur.* Contra autem, infirmatis privilegiis, & Religione Orthodoxâ acerrimè afflictâ, aut exulare jussâ, fieri non potest, quin ejusmodi Imperium in atrocissimam Tyrannidem degeneret, & omnia fidei, amoris, obedientiæ vincula, quæ Magistratum & Subditos ligant, dissolvantur.

EXORDIUM.

a Requisitis, ad Imperii prosperitatem spectantibus.

1. Religionis & Conscientiarū libertate.

2 Immunitatum omnium integritate.

Ut enim observantia legum, & veræ Religionis libertas fundamenta sunt, quibus inniti debet Christianum, legitimum, & Deo probatum Imperium. ita è contrario in quocunq; ista deficiunt, id neq; legitimè constitui, neq; diurnare posse apparet, sed tranquillitatem conscientiæ, amorem subditorum, gloriam sui apud memorem posteritatem corrumpit.

Itaq; Christianis subditis maximæ semper curæ & studio fuit, ut ista duo incolumitatis suæ fundamenta, puta Religionis & Patriæ libertatem, firma & immota conservarent. Hoc enim omnium seculorum exemplis edocti certo sciunt, eos, qui rerum potiuntur, cum semel ista

fundamenta concutere inceperint, non antea conquiescere, quam excogitatis omnium insidiarum & fraudum artibus Subditos tandem, intolerabili gravaminum mole pressos, ad desperationem adigant, ut ita seditione excitatâ quasi mantellum sceleri suo accipiant, & hoc obtentu Reipublicæ formam, necnon Religionem, cum legibus fundamentalibus radicitùs exstirpare possint.

Hinc obtinuit, & jure quasi naturali invaluit, cum in tali regimine nulla fides pietasq;, & apud ejusmodi Magistratum nervus ille, qui imperantes & parentes continet, nequaquam reperiatur, ista vero portenta extra hominum commercium ponantur, ut unicuiq; Christianæ Provinciæ, salvo DEI honore, & conscientiarum integritate, istiusmodi Tyrannidem excutere, & à jugo tam sævi Magistratus recedere liceat.

Utinam vero, & hoc afflictissimo Regni Bohemiæ & incorporatarum Provinciarum statu, quicquam piis votis superesset, ne hæ etiam Regiones (prò dolor) conqueri necesse haberent de infracta Religionis & Patriæ libertate, de turbata conscientiarum pace, & conatu leges fundamentales evertendi, absolutumq; Dominatum contra Privilegia introducendi, de fide turpiter violatâ, de conculcata Justitia, de vastata horribiliter Republica, de ejusmodi deniq; malis, quibus illegitimi istius regiminis iniquitas & sævitia veluti certissimis τεκμηρίοις deprehendi potest.

Compressam hîc atq; tacitam relinquamus sortem adflictam, quam, ante impetratum Diploma de Religionis libertate, Bohemia & incorporatæ Provinciæ sunt perpessæ.

Neq; plura dicamus, quam multo atrociores postea quoq; perfidi Religionis & libertatis hostes se exhibuerint, quam accuratè in omnium occasionum & temporum articulos intenti fuerint, ut Regni & Provinciarum privilegia exstinguere, & crudelissimum Dominatum, certâ spe delendæ Religionis, condere possent.

PROPOSITIO. *Quæ causæ repudiandi Ferdinãdum Bohemiæ Regno, & Incorporatis Provinciis, exhibitæ.*

Omnibus hisce missis, *Ea saltem intuebimur; quæ nuper admodum Ferdinandi Regis instinctu, & operâ, ad inevitabilem Sui repudiationem, gesta sunt*, ex quibus luce meridiana clarius apparebit, nihil aliud in votis habuisse, nihil cogitasse, aut laborasse aliud Furias istas Facesq; Patriæ, quam Regni, & Provinciarum incendium, atq; ruinam.

NARRATIO. *Repudii causas continet.*

Principio autem sciendum est: Regnum Bohemiæ à multis retro seculis, his uti, fruiq; sanctionibus ac privilegiis, ut omnino liberam Regis ac Domini sui habeat Electionem, quod è Bohemorum Chronicis, è multis Bullis Cæsareis, è literis reversalibus Regum, è plurimis vetustatis exemplis, aliisq; documentis certissimis perspicuum est, & manifestum.

Etsi vero neq; superioribus annis defuerunt nefarii homines, qui liberæ huic Electioni insidiati, &, quantum in se fuit, conati sunt, ut eam penitus interverterent, nunquam tamen vel majori animorum ardore, vel turpioribus technis

res

res agitata est, quam cum Ferdinandus ex suo præscripto, tacitam subsecuturi repudii causam Statibus suppeditante, intrusus fuit.

REPUDII. *Causa Prima.* Inordinata Electio

Posteaquam enim animadverterunt *Sinonei isti*, rectè atq; ordine rem confieri non posse, nec per privilegia ac literas reversales licere, *ecce Sacratissimo Imperatori Matthiæ, ut Ferdinandum adoptaret, callidè persuaserunt*, quo quidem commento gradum illi ad Regium fastigium struere voluêre.

1. Propter præjudicialem adoptationem.

Ne vero conatus iste in herba suffocaretur, aut si ad Provincias incorporatas emanaret, extingueretur, iterum ad fraudes suas conversi sunt, & *Comitia solùm Bohemiæ Ordinibus indixerunt*, additâ simul expressâ hac denunciatione, nihil in illis aliud, nisi de novi Regis Electione deliberatum iri, cum tamen & Imperatori, & Consiliariis ejus, satis notum fuerit, nullam Regis Electionem rectè atq; ordine confieri posse, nisi omnium incorporatarum Provinciarum Legati adsint, & eam votis suis confirment.

2. Propter confœderatarum Provinciarum præteritionem.

3. Propter incompletũ Statuũ Bohemiæ conventum.

Hinc factum est, ut plurimi Ex Ordinum numero ab his Comitiis abhorruerint, neq; acceßerint: Cum iis, qui interfuerant, & Privilegia liberæ Electionis, nec non absentiam maximæ partis Ordinum, itemq; incorporatarum Provinciarum, quarum suffragia necessariò requirerentur, prætenderant, ejusmodi minæ intentatæ fuerint, ut si perseverassent in Sententia sua, unusquisq; capitis discrimen adiisset.

4. Propter Renuentibꝰ factam periculi denũtiationem.

Quo timore incusso, qui etiam in Constantissimum quemq; cadere potest, (nam & priorum suppliciorum crudelitates tacitè inculcabantur, & præterea, Ferdinandi in provinciis hereditariis exercita sævitia in recenti erat memoria) eò tandem res rediit, ut à minima, & jam minis perterrita Ordinum parte, atq; ita vi aperta Electio & Coronatio extorqueretur.

5. Propter promissam Annuentibꝰ remunerationem.

Reliqui Officialium Regni, aliiq;, qui & assensum suum ultro præbuerant, & minas propositas exasperârant, non solum magnificis promissis onerati, sed etiam prolixâ liberalitate ita corrupti fuerunt, ut, operâ ipsorum intercedente, nemo unus ausus fuerit vocabulum Electionis usurpare, sed, obliterato eo, contra omnia Privilegia, etiam sub eorum nomine, qui se planè abstinuerant, neq; isti prævaricationi communicarant, Ferdinandum *Regem* acceperint, & coronarint.

6. Propter interdictã vocabuli Electionis usurpationẽ.

Et hoc adulterini Patriæ cives eò majori studio sibi agendum putabant, quò Religionem Evangelicam à Ferdinando, cui extremè invisam esse norant, facile hoc modo deleri posse, sibi promptius persuaserant.

* *Causa 2da.* Perniciosissima ex pacto cũ Hispano conventio, *celebrata 1. Statibꝰ insciis. 2. A Ferdinando, nondum Electo. 3. Ad infirmandam li-*

* Atq; ut eò certius *Rex Ferdinandus* in sequentibus annorum decursibus liberam Electionem Bohemiæ Regno, & adnexis Provinciis, eriperet, Religionem Evangelicam radicitus erueret, legesq; fundamentales everteret, & exstirparet, *cum Hispanorum Rege occultiùs machinationibus, clam Ordinibus Regni Bohemiæ, & quod gravius, nondum etiam electus, neq; quicquam juris in Bohemiam habens, pacta in luculentam consonantiam erexit, per quæ Regni & Provinciarum privilegia, Electionis libertatem,*

veram Electionem, firmandū vero Hispanorū Dominatū.

Incommodum Nos hinc redundantia fuissent:

1. Libertatis nostræ subjugatio.

2. Traditionum humanarum irrogatio.

3. Inquisitionis horrendæ introductio.

4. Provinciarū elusio.

5. Libera earundem alienatio.

6. Regiarum Familiarum dehonestatio

7. Regni per Vicariatum extenuatio.

8. Romani Imperii ruina.

tem, immò jura Bohemorum omnia irrita facere voluit; in iisq; assensu suo comprobavit, ut Hispanorum Rex ejusq; Posteri, & Heredes, si quando Patruus sui lineam masculam desinere contingeret, in Regno Bohemiæ hereditario jure succederent.

Hoc factum quam sit atrox, quam horrendum, is facile dijudicare potest, cui saltem è longinquo absolutus Hispanorum Dominatus cognitus est, quo invalescente Nostrates aliquando inæstimabile libertatis bonum *cum perpetua servitute*, Evangelicæ veritatis lucem *cum traditionum humanarum tenebris*, privilegia quoq; amplissima *cum Hispanica Inquisitione* commutare cogerentur.

Nam si successio ista, deficiente Ferdinandi & Fratrum prole masculâ successisset, tum certè Provinciæ hæ *triste ludibrium Hispani* debuissent, qui postea *pro libitu suo ad peregrinos* eas transtulissent, aut, veluti exigui res momenti, huic, vel isti terræ filio, ceu præmium perfidiæ & crudelitatis, concessissent, *non sine æterno dedecore & infamia Illustrissimarum in his Provinciis Familiarum*, quæ & ipsæ è Cæsareo, Regioq; sangvine originem suam ducunt, quarumq; inclyti Majores generosa potius morte millies defungi voluissent, quam intolerabilis istius servitutis ergastulis libertatem suam coerceri passi essent.

Sed & ipse Ferdinandus, qui libertate nostrâ & Privilegiis priùs Nos exuisset, quasi Vicarius *Hispani* imperaret *Imperium Romanum in quantas angustias & pericula* conjiceretur, si Hispano per ista

ista pacta aditus pateret? Bohemia potitus, & pro Electore se venditans, prius non conquieisceret, quam summam imperii dignitatem, Coronamq; Cæsaream adeptus esset: Quâ machinâ *omnia aureæ bullæ fundamenta & formam Imperii subverti* necesse esset.

9. Aureæ bullæ subversio.

Ex quibus omnibus liquido apparet, Ferdinandum clandestinis illis pactis universo Regno & confœderatis Provinciis tanta & tam periculosa præjudicia fecisse, ut nisi successu carerent, de salute nostra, de fidei & conscientiæ libertate, de pretiosissimo illo Regni Palladio, libera nimirum Electione, & cæteris Privilegiis, jam actum esset.

Sequitur etiam ex his, quæ diximus, Electionem Ferdinandi non modo contra Privilegia institutam esse, sed quoq; pactis Hispanicis irritam fieri: Eamq; ob causam, de Provinciis hisce secus sentiendum non est, quæ, suæ, & Posteritatis saluti consulentes, Pacta illa toties nominata, posteaquam foras eliminata sunt, jam nunc abolent, & secundum ea factam Ferdinandi Electionem infirmant.

Causalitia. Evidens contra Reversales literas actio. Consistens.

Verum posito, nequaquam autem concesso, Regem Ferdinandum vigore Privilegiorum, viâ ordinariâ & ab omnibus Regni Statibus ac Provinciis unanimi suffragiorum consensu esse electum, solenniter coronatum, & homagio præstito confirmatum, quod tamen sub certâ conditione & eventuali promissione factum est, quemadmodum ex juramento & Regiarum Reversalium formula cuivis videre licet; tamen Rex Ferdinandus post Electionem & Coro-

& Coronationem ita se gessit, ut suo ipsius merito Regno excidisse dici possit.

Inter Magistratum & Subditos evidens est relatio & reciproca obligatio: ut si ex parte una debeatur fidelitas & obœdientia, necessariò & ex altera parte requiratur dictorum constantia, & defensio: *Speciatim igitur & expressè Rex Ferdinandus Reversalibus suis literis promisit; Se Regium sceptrum gratâ memoriâ à Statibus accepturum, se Regiâ & eâ gratiâ erga unumquemq; futurum, quâ satisfieri illorum desiderio, omniumq; benevolentiam demereri posset, & eam gratiosissimè pensaturum esse. Non tamen facta dictis responderunt, unicè id agere visus est, quomodo quam maximè promissis ipse suis adversaretur.*

I. *In beneficentiæ, Statibus promissæ, denegatione.*

Etsi enim superstite Matthia Imperatore abundè probatum fuerit, turbas Bohemicas aliundè, quam ex Religionis persecutione, non oriri, (quemadmodum satis docent Apologiæ, Decreta Comitiorum, Formulæ Instructionum, & Libellorum supplicũ, Intercessiones, & id genus alia, magna copiâ à Bohemis, Moravis, Silesiis edita) eò majori tamen conatu, *Religioni opprimendæ Ferdinandus incubuit, & ferale hoc bellum, quantum potuit, armis & consiliis sustentavit.*

Vivo Matthia,

I. *Bellum alienum Ferdinando sustentavit,*

† Nam statim à principio istorum motuũ, & *vivo Imperatore*, Tyria maria in Bohemos concitavit, exercitum suum *è Styria* vocavit, transitum pro militibus suis *in Comitiis Moravorum* ipse postulavit, &, prædominante tum pontificiâ factione, impetravit: Status in Bohemia Evangelicos ibidem *Rebelles* indigetavit, Seq; ibidem apertissimum *hostem* Evangelicorum Bohemiæ Statuum declaravit.

† *1. Vocato è Styria milite.*

2 Postulato per Moraviam transitu.

II *Status Bohemiæ Rebellionis accusavit.*

Post Imperatoris Matthiæ obitum Rex Ferdinandus nundum cessavit, sed plenis buccis ad arma conclamavit, omnem militem *sacramento* sibi obstrinxit, exterorum Principum, Romanæ Religioni addictorum, *auxilia* enixissimè poposcit: in vicem gratiæ Regiæ, & beneficiorum, sanctè promissorũ loco exquisitissima *omnium crudelitatũ* genera in Bohemos exercuit, & (quod horrendũ auditu) in defunctos Christianos, in homines, ad Dei imaginem conditos, barbarissimo furore & libidine ita sæviit, ut nugæ sint decantatæ illæ Busiridis, Phalaridis, Turcarum, aliorumq; atrocitates cum Furiis istis comparatæ.

III. *Hostem Evangelicorũ Se declaravit.*

Mortuo Matthia,

Bellum alienum suum fecit.

1. recepto Milite Cæsareo.

2. quæsito externo auxilio.

3. crudelitatum exercitio.

Literæ Reversales volunt, ut Rex Ferdinandus, vivo Imperatore Matthia, à gubernatione omni abstineat: Rex Ferdinandus autem regimini sese præfecit, *consiliorum Præsidem veterem*, contra mentem Imperatoris, relegari jussit, novum Seipsum constituit, omnia consilia direxit, Cæsaris *Decisiones & Decreta* suo pro arbitrio correxit, ad bellum provehendum omnia media adhibuit, Militibus, & Supremo Militiæ Præfecto *Bucovio*, quid faciendum, quidve omittendum, demandavit, & contra datam fidem, Se, ut Regem ac Dominum, Imperatore adhuc vivente, in re omni gessit.

II. *In intempestiva gubernatione, quam monstrat*

1. *Consiliorum Præsidis Clesselii deturbatio.*

2. *Decisionum & Decretorum Imperatoriorum correctio.*

§ *Literæ Regis Reversales omnium Privilegiorum confirmationem requirunt:* Rex Ferdinandus in eo unicè laboravit, ut Privilegia omnia per pacta, cum Hispanorum Rege facta, per bella in hunc usq;

3. *Bucovii informatio.*

§ III.

In Assecurationis, Privilegiis cum effectu præstandæ, recusatione, requirentis

1. Non nudam Privilegiorum confirmationem;

2. sed insuper.

1. Omnimodam gravaminū abolitionem:

2. & de non amplio turbando cautionem.

usq; diem armis propriis & alienis protracta, funditus everteret.

Actione hac sua causam dedit, quod Status à tempore exhibitorum Reversalium penitus fuerit mutatus, Hinc vivo adhuc Imperatore nuda non amplius Privilegiorum confirmatio sufficiens videbatur, sed præterea determinatam, & Privilegiis expressam gravaminum abolitionem cautio ejusmodi flagitabatur, quæ non in charta tantum & cera consisteret, (ita enim antea Nobis abundè provisum erat) sed quæ re ipsa veram Religionis exercendæ libertatem daret,

Mutari debuisset Ferdinandus, at sua in sententia, quasi omnia integra, obstinatè permansit, & relicto illo genere decertandi, quod est hominum, ad id, quod belluarum est, confugit, vi & armis ad imperata facienda cogere Provincias conatus est. Idq; vel hinc magis perspicuum fit, *quod toto eo, longo satis, tempore, quo omnium Provinciarum Legati Pragæ convenerant, de recuperanda pace & tranquillitate sollicitè consultantes, ne unicam animi significationem, ad pacem inclinantis, aut spem confirmandi cum effectu Privilegia, vel fecerit, vel adhuc facturus videatur.*

Ex his itaq; quæ commemoravimus, unusquisq; Æqui & Boni Amicus dijudicet, annon Ferdinandus suâ ipsius operâ Regni & Provinciarum gubernatione se exuerit, cum etiam, secundum literarum Reversalium perspicua verba, Provinciæ, rebus ita comparatis, nullo subjectionis aut fidelitatis vinculo teneantur.

Neq;

Neq; juramento suo Ferdinandus satisfecit, quod Statibus Bohemiæ, & consequenter etiam incorporatis Provinciis solenniter præstitit, sed illud multis variisq; modis violavit.

Causa 4ta. Juramenti violatio,

1. Immunitatum Regni & Provinciarū infirmatione.

Nam ubi juramentum Regem apertè adstringit, ut Regionum omnium immunitates & Privilegia defendat: Ferdinandus Rex omnia Privilegia, liberam Regis Electionem confirmantia, everterе voluit, imo in Religionis negotio & literarum Majestaticarum sanctione securitatem nullam præstitit, neq; unquam præstare cogitavit.

2. Non partiū cujusdā Regni avulsione:

Sed corporis universi transportatione.

Vigore Juramenti Rex Regno detrahere nihil plane debuit: Ferdinandus verò per pacta Hispanica, sæpius nominata, Bohemiæ Regno non partem aliquam abstulit; sed integrum Regnum, cum adjunctis Provinciis, lineæ Hispanicæ, suâ suorumq; Fratrum decedente omnino, tradidit: cum tamen Regula Politicorum sit indubitata & certissima: nullum Regem in Regno Electitio sine notitia ac consensu Regionum aut Statuum quicquam alienando agere posse: aut si clam cum Regionum præjudicio & periculo quicquam egerit, eum coronâ, sceptro, gubernatione, sine ullo dubio, excidisse.

3. Ingenti Regionum vastatione.

Rex Ferdinandus juramento promisit: Se Bohemiæ Regnum amplificaturum auctarumq;: at Ille flammâ, ferro aliisq; maximis bellorum difficultatibus Terras hasce adflixit, magnam Bohemiæ & Moraviæ partem sine ulla causa legitima devastavit, nulloq; crudelitatis genere prætermisso, in solitudinem redegit: imo Regiones omnes

militaribus dereptionibus & deprædationibus, quod ex literis ejus interceptis constat, exposuit.

4. Contumeliosâ & ignominiosâ Statuum tractatione.

Rex Ferdinandus fidem dedit, se acturum omnia, quæ ad Regni honorem, dignitatem ac prosperitatem sint factura: Sed ille Bohemiæ Status Rebellionis accusavit, eosq; magis quam Turcico aut Barbarico odio persecutus est: & quidem, antequam rerum Bohemicarum moderamina caperet, antequam SacratiS. Imperator Matthias è vivis decederet, antequam vel minimum in se offensionis paratæ crimen posset demonstrare.

Ex quibus omnibus clarum perspicuumq; fit considerantibus, Regem Ferdinandum, propterea, quod juramento suo, suoq; promisso, uti quidem debuit, non regiè satisfecerit, Bohemorum coronâ Sceptroq;, Semetipsum feciſſe indignum.

Solutio Objectionis I. Statuum Iuramentū conditiona, tum, Conditione non adimpletâ, solubile est. Testimonio † Historiarū.

Sequitur etiam necessario: Quando Juramenta, sub certis quibusdam conditionibus præstantur, & à Rege uti decet, non adimplentur, sed plurima contra ea tentantur, & peraguntur; tùm & Subditos non amplius esse obligatos: Cum tuto liceat, ab obligatione recedere, ubi conditio non adimpletur.

† Testimonium hîc perhibere potest nuncia, vetustatis & veritatis *Historia*, ex qua liquido constat: Reges quando Juramenta violarunt, tùm & Subditos à fide data atq; obedientia debita sine ulla perjurii infamiæq; nota recessisse: quod fecerunt Sueci, Poloni, Angli, Galli, Dani, Scoti, Belgæ, Helvvetii, imo & ipsi Bohemi, Cum SacratiS. Imperator Rudolphus 2. Passavienses milites Pragam deduxisset, neq; tanta incendia deprædationes tantas, tanta latrocinia & damna, quanta per Ferdinandum illata, Bohemiæ Regno intulisset.

Nihil hic dicemus *de jure ipso*, quo cautum concessumq; est, ut, si pars una à pactis recedat, & altera ab iisdem licitè recedere possit. 2. Iurii.

Si vero in ejusmodi casibus Subditi saltèm essent obligati, non simul Dominus, Juramentum summæ esset iniquitatis & injuriæ vinculum. 3. Rationis.

Quoniam igitur Ferdinandus, ut in superioribus sufficientissimè expositum est, ipsis Pactis, Reversalibus suis, suoq; Juramento Sese planè contrarium exhibuit, ideoq; & Subditi suis à partibus non amplius sunt obligati.

Ferdinandus hæc omnia Rationis Magisterio subjicere debuisset, subjicere autem noluit, infideles, malitiosos & iniquos Consultores, execrabiles Diabolicosq; Jesuitas, in majori pretio & æstimatione habuit, quam tot fideles constantesq; Subditos, qui pro honore & gloria Regum in Bohemia sanguinem, vitam, famam, fortunas omnes liberalissimè exposuerunt, & profuderunt; qui tot seriis obsecrationibus, tot obtestationibns, tot admonitionibus, qui tot Electorum, Principum, fœderatarum Regionum intercessionibus & interpositionibus nihil planè impetrare potuerunt.

II. Innocentibo deprecatio non imponenda.

Neq; Bohemiæ Status eam ob causam in reprehensionis notam incurrent, quod spretis atq; contemptis prioribus suis precibus, offerre se [redacted] Ferdinando

nando ut injuriarum & læsæ Majestatis reos, vel ut delictum minimè perpetratum deprecaturos noluerint; *Quod* fucatas recusarint tractationes, *Quod* inter Regem ipsum & incorporatas Provincias initum Fœdus Ferdinando Regi confirmandum non obtulerint: Fruſtraneum hoc omne fuisset.

III. *Super rebus manifestis nulla necessaria causæ cognitio.*

Etenim Tractationes de cognoscendis, sat antea notis, de mitigandis literarum Majestaticarum sanctione omnimodæ abolitioni datis Gravaminibus in Fœderis Formula Statibus omnino prohibitæ sunt. Tractationibus ejusmodi acceptis, acceptæ simul fuissent omnis generis protractiones, quæ dictos Regni Status & Provinciales tam diu detinuissent & retardassent, donec à partibus Regis agmina militaria, exterarum Nationum cohortibus aucta, & roborata, exercitui Bohemico ad hostes debellandos omnem occasionis commoditatem, nervos omnes præcidissent, nostrates milites vi, armis, & dolo oppressissent & profligassent: tandemq;, quod in votis optatisq; jam dudum habuerunt, Nos omnes, liberos nostros atq; omnem Posteritatē æternæ servitutis jugo subjecissent: Cum præsertim in his miserrimis persecutionum angustiis nulla fides pietasq; apparuerit.

IV. *Abrogandis in totū mitigatio, Amovendis subitò dilatio longa,*

1. partim ex Fœderis Formula,

2 partim ex imminente periculo, inimica est.

V. *Confirmandi Fœderis Formulam cum effectu confirmare nec voluisse nec potuisse Ferdinandum, liquet.*

Adhæc licet Fœderis Formulam Ferdinando Regi Regiones exhibuissent, nullam tamen futuræ securitatis spem habuissent, Regem hunc Fœdus jam sæpe nominatum cum effectu confirmare voluisse aut potuisse.

Quod noluerit, neq; potuerit hoc præstare, *docent horribiles persecutiones, exilia, & ejectiones,* quas in Styria contra omnes Evangelicos exercuit, quos Religionis odio planè inextinguibili è Rebus-publicis exclusit, segregavit, deturbavit, quos crudelissimis proscriptionibus, patriâ, aris, focisq; expulit, quos deniq; carceribus, vinculis, compedibus, aliisq; tormentorum generibus ad necem usq; maceravit.

1. Ex horrenda ejusdem contra Evangelicos in Styria persecutione.

Probat hoc juramentum Regis Ferdinandi in Regiminis paterni exordio præstitum, quo Se religiosè ad Evangelicos omni conamine exstirpandos obstrinxit.

2. Ex curiosa juramēti, paterno suscepto Regimine præstiti, observatione.

Ostendit illud ipsum aurei Velleris juramentum, quod ad Hæreticorum eradicationem, Pontificiæq; Religionis exaltationem provehendam unum quemq; adigit.

3. Ex aurei velleris assumptione.

Idq; meridianâ luce est inde clarius: quod Rex Ferdinandus totius orbis portenta & Regnorum omnium pestes Jesuitas ubiq; terrarum proscriptos, in sinu quasi foveat, eosq; cum pessimis illis Consultoribus secum semper habeat, à quibus hæc omnia in commoda & calamitates publicæ ortum incrementumq; sumserunt: Qui adhuc hodie manibus pedibusq; eò laborant, ut Regiones hasce ad interitum extremamq; perniciem deducant.

4. Ex Iesuitica occæcatione.

Neq; in his omnibus Rex Ferdinandus acquievit. sed *tanto ardore, tam effusè, tamq; immoderatis affectibus Jesuitas complexus, ut etiam Sectæ Lojolitanæ sicuti constans fama est nomen dederit.*

Sine Hispanorum Regis aliorumq; Catholicorum Principum assensu & arbitrio hac in causa compositioni amicabili

5. Ex acerrima partiū

Hiſpani, aliorum Catholicorum Principũ, propugnatione.

cabili planè nihil tribuere, ſed vi ſumma, manuq; armata Rex eſſe, & per crudeles machinationes, per bellicam ſævitiam, per incendia, per lanienas, per direptiones & Provinciarum devaſtationes, initia facere voluit.

Hinc Cæſarius quidam Conſiliarius in præſentia Legati cujusdam Electoris hæc verba in medium protulit : Domum Auſtriacam, ſine Domus Hiſpanicæ, penes quam Primogenituræ jus, conſenſu & voluntate nihil in Romano Imperio, nihil in ipſis Regnis, nihil deniq; in Provinciis agere, aliisq; concedere poſſe.

6. Ex Pontificiæ Excommunicationis averſione.

Sed & propter Romani Pontificis futuram excommunicationem Rex Ferdinandus Confœderationis articulos approbare, aut confirmare non potuit.

In tantas enim anguſtias redactus eſt, ut ſine Sdencone Adalberto de Poppel ſupremo antea in Regno Bohemiæ Cancellario, ſine Legato Hiſpanico, & ſine Nuncio Papali nihil plane proponere, nulla conſilia inire, nihil certi in rebus agendis concludere, nihil deniq; facto ipſo perficere potuerit.

7. Ex ſumme Sibi odioſa Statuũ confœderatione.

Provinciæ quoq; jurejurando Se invicem obligarunt, vitæ prius, & fortunarum omnium jacturam facere, quam pati, ut Evangelica Religio abrogetur, vel minimus apex literarum Majeſtaticarum & Fœderis immutetur. Fruſtra igitur confirmandum fœdus Ferdinando oblatum fuiſſet, quia nunquam ratihabuiſſet, aut ſi hoc verbis, Diplomatis membranaceis & appenſo ſigillo, vel maximo, feciſſet, nunquam

nunquam tamen fœderis articulos bonâ fide & in rei veritate obſervaſſet.

CONCLUSIO.

Ideoq; Status Regni & Provinciarum non ad Regis Ferdinandi promiſſa lubrica, ſed ad Supremum illud & Cœleſte auxilium cogitata ſua direxerunt: In teſtimonium hic adducere voluerunt Conſcientiam illæſam & illibatam, animorum integritatem, & cauſæ totius juſtitiam, atq; bonitatem, hac ſpe freti certiſſimâ: DEUM OPT. MAX. pro verbi ſui veritate potentiſſimam manum ſuam contra omnes Eccleſiarum Evangelicarum hoſtes, & Chriſtiani ſanguinis cupidiſſimos viros extenſurum, eosq; in medio Tyrannidis ac crudelitatis curſu cum æterno conſcientiarum morſu horribili, niſi reſipuerint, eradicaturum eſſe.

1. Cum ſeria auxilii divini implorationē.

Iidem Status in ſummam exſpectationem optimamq; cogitationem adducuntur, Principes Evangelicos in hac cauſa juſtiſſimâ æquiſſimaq; pro viribus omnibus vigilaturos, Regnum Bohemiæ & conjunctas Provincias defenſuros, preſſosq; omnes ex turba hac turbulenta & rerum confuſione educturos eſſe.

2. Cum Evangelicorum Principum exhortatione.

Quod & *Regem noviter electum Sereniſ. ac Potentiſ. Principem, & Dominum,* FRIDERICUM, operosè facturum, quilibet firmâ animi aſſenſione ſperet, & interno cordis motu affectuq; ſincero præoptet, ut novum hoc Regimen tendat ad Divini Nomi-

3. Cum Novi Regis incitatione.

4. Cum felicißimi Regiminis exoptatione.

nis laudem & gloriam, Evangelicæ veritatis propagationem, Ecclesiæ Christianæ incrementum & emolumentum, tandemq; ad Regionum harum stabilem ac perpetuam tranquillitatem.

Lipsius lib. 2. Monit. polit. cap. 7.

PRinceps ne inclinet, sic & labatur, sed bonus sit & perseveret: quid magis eum sulciat & firmet, quam Finis semper in oculis, quò spectet? Neq; enim Principatus ipse finis est, absit, aut altitudo illa & splendor: sed populi bonum, id est directio ejus & tutela. Officium est imperare, non Regnum, *ait Seneca.*

Seneca lib. 1. de Clement. cap. 4.

Cogitet secum Princeps: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui DEORUM vice in terris fungerer: Ego vitæ necisq; Gentibus arbiter: qualem quisq; statum sortemq; habeat, in manu mea positum est. *O dignitas! Vicarium* DEI *esse, & non esse æmulum? Vide ut ille ab orbe condito dispenset, & regat, æstates, hiemes, anni tempora; fruges; fructus, tot usui nostro aut voluptati; cœlos, terras, maria, omnia in statu & concordia, etsi maximè discordia, servet; parcat plurimum, interdum puniat; verus Pater simul & Dominus generis humani: quid desideres præter hoc exemplum? Subsequere: & à* DEO *Reges ad* DEUM *eant.*

Num. II.

POLONORUM REGIS Confessio, COMPACTATA, PROVINCIARUM intuitu, inita, institutaq; esse, Literis binis, Silesiæ Duci Scriptis, comprehensa.

LITERAE PRIORES.

Sigismundus III. DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæq;; Nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex.

ILlustris Princeps, Cognate, & Amice noster charissime. Accepimus literas Illustritatis Vestræ, quibus de Nobili Zakrzewio

subdito nostro queritur, eum multas injurias plurimaq; damna subditis Ill^tis V^æ intuliſſe. Sanè pro ſtudio noſtro, *ad conſervanda pactorum, cum Provinciis Sac. Cæſ. M^tis initorum, & bonæ vicinitatis cum Ill^te V^a jura*, graviter & moleſté ferimus, ea à ſubdito noſtro committi, quæ fieri ſeveré prohibemus, & quæ juxta jura & conſtitutiones Regni punire conſvevimus. Sed illud etiam ſignificandum Ill^ti V^æ duximus, ſæpe ad Nos deferri, incolas Baronatus Herrenſtadienſis, aliosq; confines ſubditos Ill^tis V^æ, frequentes facere in Ditiones noſtras incurſiones, ſubditosq; noſtros compluribus violentiis ad referendas & inferendas ſimiles injurias provocare: Cujusmodi violentiarũ nunc quoq; copioſus admodum catalogus Nobis porrectus, & commoſtratus fuit. Imo ex literis ipſius Ill^tis V^æ ſatis innotuit, quosdam ſubditos noſtros, captos è Ditionibus noſtris, etiamnum in carceribus per ſubditos Ill^tis V^æ detineri: Unde facile cuivis conſtare poteſt, non minus ſubditorum noſtrorum vitio, quam ſubditorum Ill^tis V^æ merito, ad mutua diſſidia dari occaſionem: Cum tamen id noſtræ propenſæ erga Cæſ. M^tem voluntatis ratio, nec non *Pactorum, inter Regnum noſtrum & Ditiones Suæ M^tis intercedentium, obſervantia*

à Nobis

à Nobis poſtulet, ut exortas diſſenſiones juſtis mediis ſopiamus, occaſionesq; majorum præcidamus. Dedimus ad Magnificum Palatinum Lancienſem, Majoris Poloniæ Generalem Capitaneum, ſinc. Nobis dilectum, literas noſtras, quibus eum commonefecimus, ut præfatum Zakrzewium, ejusq; adhærentes, in officio contineat, eidemq; excurſiones extra fines Regni noſtri, multo vero magis injurias, in Ditionibus Ill^tis V^æ inferendas, omnino prohibeat; captivos autem, quicunq; carceribus continentur, ex utraq; parte reſtitui, nimirum & Syleſios reddi ab hinc, & Polonos repeti ab inde, curet. Quæ vero aliæ ad hoc uſq; tempus illatæ ab utrinq; & perpetratæ ſunt injuriæ, hæc cum non niſi ab ipſis Commiſſariis commodè cognoſci, eorumq; arbitrio decidi queant, (quæ Ill^tis quoq; V^æ eſt ſententia, uti eam nobis literis declaravit) ideo earum deciſionem futuræ ipſorum comiſſioni relinquimus, modo hos ipſos Commiſſarios, uti Nos ex parte noſtra deſignavimus, qui hoc obibunt & perſequentur negotium, ſic Cæs. etiam M^tas pro parte ſua in locum & ad tempus, mutuo conſenſu deſtinatum, deſignatos committat. *Interim vero Ill^tas V^a perſvaſum habeat, Nos tam pactorum, quam bonæ vicinitatis,*

uti antea semper fuisse observantes, ita nunc quoq; existere tenaces, nihilq; magis cupere, quam ut subditi nostri, vicinorumq; Principum, pace ac tranquillitate mutuâ perfruantur. Cæterum Ill^ti V^æ diuturnam incolumitatem à DEO immortali exoptamus. Varsaviæ die XIX. Mensis Maji, Anno Domini M. DC. XVII. Regnorum nostrorum Poloniæ XXX. Sveciæ XXXIV. anno.

Sigismundus Rex.

Num. III.

Num. III.

LITERÆ

Argumenti Ejusdem

POSTERIORES.

Sigismundus Tertius DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæq;, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex.

ILlustris Princeps, Amice, & Affinis noster charissime. Non dubitamus, firmâ tenere memoria Illustritates Vestras, quam à multo tempore lites & controversiæ subdito nostro, Generoso Matiæ Bojanowski, cum subditis quibusdam Cæs. M^tis, Jurisdictioni Ill^tum V^um subjectis, ratione limitum, certarumq; injuriarum intercedant, idq; probe nosse, quam frequentibus & Cæs. M^tas, & Nos ipsi, ad supplicationem ejusdem subditi nostri, eandem compositionem ineundam admonuerimus, ne nunc quidem adhuc ab eadem

molestia

molestia liberi esse possimus, eò, quod is idem subditus noster post tot Cæs. M^tis & nostras literas non modo finem molestiarum & injuriarum non assecutus est, sed indies majores perferre patiq; cogatur. *Nos quidem, qui pactorum, mutuæq; pacis fovendæ observantes, & studiosi sumus, pactis ita poscentibus, aliter nunc facere non possumus, quam ut amicè adhuc requiramus ab Ill^tibus V^is, ut & fœderum eorũ, cum Ditionibus Cæs Mtis initorum, memores sint,* & administratâ justitiâ, sopitoq; toto; ex voluntate Cæs. M^tis, jurisq; præscripto, negotio, non tam discordiarum, aut contentionum finitimarum occasionem dent, quam ad tuendam pacem confinium, amicitiamq; colendam incitent, & adhortentur. Quod Nos quoq; subditis nostris vicissim mandaturi sumus. Ill^tes V^as optime valere cupimus. Datum Varsoviæ die XXIX. Mensis Januarii, Anno Domini M. DC. XIX. Regnorum nostrorum Poloniæ XXXII. Sveciæ XXV.

Sigismundus Rex.

Num. IV.

Num IV.

TRANSACTIO
inter

IOHANNEM
Bohemiæ Regem,
Ejusq; Hæredes,
Liberrimâ Bohemorum voluntate, meroq; Statuum beneplacito, ad Regiam successionem admissos,
ex una,

ET CASIMIRI,
Polonorum Regis
Plenipotentionarios,
ex altera parte,
celebrata.

Quousq; nimirum Utriusq; Imperium extendi debeat.

Ubi ad Juris Bohemici, in Poloniam habiti, renuntiationem, renuntiare simul juri, in Silesiam habito, Polonorum Rex Commissarios suos jussit.

In Nomine Domini Amen.
Anno M. C C C. X X X V.
in Festo Beatissimi Bartholomæi
Apostoli.

NOs Sbitko Castellanus, Sbignetus Præpositus, Cracovienses, Petrus Castellanus Sandomerienſis, Thomas de Zojantzkau, & Nimissa Mandrosta, Procuratores à Magnifico Principe, Domino nostro CASIMIRO, Rege Poloniæ, constituti ad infra scripta specialiter, atq; dati, ad universorum noticiam tenore præsentium volumus publicè devenire.

Quod Sereniſ. Princeps, Dns. Joannes, Bohemiæ Rex, & Illustris Dominus Carolus, primogenitus Ejus, Marchio Moraviæ, pro Se & Suis Hæredibus, (prætendentes commodum & tranquillitatem Regnorum Bohemiæ & Poloniæ, ac regnigenarum, & incolarum ipsorum, nec non contemplatione & intuitu Sereniſ. Principum, Dominorum, Caroli Hungariæ Regis, & dicti Casimiri, Poloniæ Regis; cupientesq; ipsis Regnis & Hominibus hinc inde salubri providere remedio quatenus proindè animarum & corporum periculis salubriùs obvietur,) spontè ac liberè renuntiaverint omni Juris actioni, actioni, exceptioni, proprietati, dominio & titulo Regni Poloniæ, Eis, in eo competentibus, sub pœna Excommunicationis, promittentes pro Se & Hæredibus suis, contra hujusmodi renuntiationem & cessionem non contravenire ullâ occasione, ingenio, facto pariter, & Sermone; pro ut in aliis Eorum literis planiùs continetur.

Exceperunt tamen, excipiuntq; Generosos Principes, Dominos Duces, infra scriptos, Vasallos eorum, cum eorum Ducatibus, Terris, Bonis, Dominiis, & pertinentiis quibuscunq; quæ tempore præstiti homagii possiderunt, & omni modo, & formâ, quibus dicti Domini Duces, Ipsis Dominis, Regi Bohemiæ, & Marchioni Moraviæ, & Eorum Hæredibus, sive Ipsorum Ditioni sese subjecerunt, Ipsos Dominos Duces & Ducatus eorum, ac Dominia, cum appendiis quibuslibet, Suo & Hæredum Suorum dominio totaliter reservantes.

Exceperunt etiam Terras Vratislaviæ, & Glogoviæ, cum omnibus pertinentiis, Districtibus, & Dominio, ad ipsas spectantibus quoquo modo.

Domini autem Duces, & Ducatus prædicti, hi sunt:

Domini,

Boleslaus Legnicenſ. & Bregenſ:

Henricus Saganenſ: Croſnenſ:
Conradus Olſienſ:
Joannes Steinavienſ.

Sileſiæ Duces.

Bolko Opolenſ:
Bolko de Falckenberg,
Albertus de Strelitz,
Wladislaus Cozlenſ: & Bitunienſ:

Principes Maſovienſes.

Dominus in Pletzk,
Gelzko de Ratibor,
Joannes Oſnentienſ:
& Wladislaus de Teſchin,

Nos itaq; Volentes favorem & indiſſolubilem dilectionis amicitiam in præfatos Dominos, Regem Bohemiæ, & Marchionem Moraviæ, & Poloniæ Regem hinc inde, benevole amplecti; promittimus pro Ipſo Dno. Rege noſtro Poloniæ, Quod idem Dominus, Rex Poloniæ, Eisdem Dominis, Regi Bohemiæ, & Marchioni Moraviæ optimè favet de omni jure, dominio, & proprietate, quam habent, ut ſe habere aſſerunt in Dominiis, Ducibus, & Ducatibus prædictis, ipſosq; nullo unquam tempore impediet ſuper ipſis, nec Duces, aut Ducatus ipſos vendicabit, impetet vel aſſumet, in præjudicium Dominorum prædictorum Regis, & Marchionis, & Hæredum Suorum, Ipſosq; ſuper eisdem in nullo penitus per Se vel Hæredes Suos aliqualiter moleſtabit, pœnam & ſententiam Excommunicationis, ſi contravenerit, ipſo facto incurſurus.

Renuntiamus in ſuper pro Ipſo Dno. Rege Poloniæ, & Suis Hæredibus, omni actioni, exceptioni, præſcriptioni, & oppoſitioni Juris conſuetudinis, aut etiam facti, ſi quæ, aut aliquod eorum Ipſis, Domino Regi Poloniæ, aut Hæredibus Suis, in ſupradictis Dnis. Ducibus aut Ducatibus eorum poſſent aliqualiter ſuffragari, aut competere, non obſtantibus aliquibus munimentis, literis, ſcripturis, pactis, pactionibus, ſtatutis, reformationibus, aut aliis quibuslibet ordinationibus, ſub quacunq; forma verborum conceptis, etiamſi talia forent, de quib⁹ de verbo ad verbum ſpecialem & expreſſam oporteret fieri mentionem. Quibus omnibus, & ſingulis, & cuilibet eorum, ex certa noſtra ſcientia eſſe & intelligi volumus penitus derogatum; promittentes ſub fidei præſtito juramento, quod ſæpè fatus Dominus, Rex Poloniæ, promiſſa omnia & ſingula hinc infra feſtum B. Galli proximè ratificabit, ac ſuis patentibus literis, grata, rata, firma

per omnia obſervabit, In quorum omniũ teſtimonium atq; robur præſentes conſcribi, & noſtrorum ſigillorum patrociniis fecimus cõmuniri. Datum & actum in Tricinio, Anno & Die ſupra dictis.

Num. V.

RENUNTIATIO CASIMIRI, Polonorum Regis,

Suo, ſuorum Hæredum, & Succeſſorum nomine,

De non ampliùs repetendis, vel turbandis Sileſiæ Ducibus, Ducatibus & Dominiis,

Sub præſtiti juramenti fide, & pœnâ Excommunicationis,

facta.

CASIMIRUS, Dei Gratiâ, Rex Poloniæ, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem & noticiam ſubſcriptorum. Salus, Salus, Vita, & perennis tranquillitas, benedictio pacis, irradiata claris fulgoribus, per Orbis clariùs refulget climata, dum Regnorum ſubditis & Terrarum incolis providetur de commodis, & inter Principes deſideratæ gratiæ unio, ac indiſſolubilis charitatis fœdera gratioſiùs amplexantur.

Cum itaq; (ſicuti ſtatus præcedentium temporum demonſtrat) inter Magnificos Principes, Dominos, Joannem Bohemiæ Regem, & Carolum, Ipſius primogenitum, Marchionem Moraviæ, Illuſtres Fratres noſtros chariſſimos, ac Progenitores, & Prædeceſſores eorum, ex parte una; Nosq; ac Progenitores noſtros parte ex altera, nonnullæ ſeditiones, afflictiones, & multiplices calamitates, cædesq; perſonarum, ac rerum, hinc inde per tempora agitatæ, naſcantur, ac damna perpetrata, propter quæ & Regnorũ & Terrarum gubernacula utrobiq; gravia pertulêre diſpẽdia, & jacturas innumeras quotidiè habuerunt; Nosq; his tot & tantis cupientes ſalutiferè obviare periculis, & eis finem imponere ſalutarem affectantes, attentis affectibus eum jam dictis Dominis, Rege & Marchione, firmam ac perpetuam amicitiæ gratiam, ac fraternæ dilectionis vinculum irrefragabiliter colligare volentes, in hoc votis eorum & noſtris ſatisfa-

satisfacientes, libenti animo recognoscimus, dicimus, & publicè protestamur,

Nos in Magnis Principibus, Dominis Ducibus
Boleslao Lignicens. & Bregens:
Henrico Saganens: & Crosnens:
Conrado Olsnens:
Joanne Stinoviens:
Silesiæ Ducibus.
Nec non Bolckone Opolien:
Bolckone de Falkenberg:
Alberto de Strelitz:
Vladislao Teschinens:
Ducibus.
Vladislao Cozlens: & Butens:
Principe Masoviæ,
Domino in Plotzk.
Leskone Ratiboris,
& Joanne Osvicens.

Ducibus, & Vasallis eorum, cum ipsorum Ducatibus & Dominiis, terris, districtibus, jurisdictionibus, pertinentiis, metis, appendiis, limitibus antiquis quibuscunq;. nec non Civitatibus Vratislaviâ & Glogoviâ, cum districtibus, limitibus, affinibus & pertinentiis earum universis, nullum jus, proprietatem, vel Dominium, possessionem, nem, aut titulum habere, aut habuisse, competere, vel competiisse, promittentes Ipsos duos Regem, & Marchionem, aut Hæredes, Cohæredes, vel Successores eorum, super prænominatis Ducibus & Ducatibus eorum, seu etiam Civitatibus Vratisl. & Glogovienſe cum pertinentiis suis, per Nos, vel Hæredes, Cohæredes, & Successores nostros, aut alios quoscunq;, nullo unquam tempore impedire, molestare, vel impetere, nec Duces ac Ducatus ipsos, vel ipsorum pertinentias, Nobis, aut Hæredibus nostris vendicabimus, aut etiam assumemus, in Ipsorum Regis, Marchionis, vel Hæredum eorum præjudicium & gravamen.

Quinimò placet Nobis, & optimè favemus Eis in iisdem, renuntiantes insuper, & cedentes pro Nobis, Hæredibus, Cohæredibus, & Successoribus nostris, omni juri, actioni, quæstioni, proprietati, & titulo in perpetuum, si quæ Nobis, aut Hæredibus, vel Successoribus nostris competebant, competerent, vel competere possent, quomodo libet, in futurum, promittentes etiam sub fide præstiti juramenti, tactis S. S. Evangeliis, & nihilominus sub pœna excommunicationis prolatæ sententiæ, contra hanc nostram renuntiationem, cessionem, & promissionem, aliquâ actione, impetitione, suggestione

gestione, studio, & ingenio, jure, facto, atq; verbo, nequaquam venire, non obstantibus aliquibus pactis, pactionibus, Statutis, reformationibus, ordinationibus, consvetudinibus, præscriptionibus, conventionibus, munimentis, indulgentiis, Privilegiis, vel literis Apostolicis, Imperialibus, nec aliis quibuscunq; scripturis, impetratis, seu impetrandis inposterum, nec non juribus quibuscunq; tam Juris Canonici, Civilis, aut etiam Municipalis, sub quacunq; forma verborum & prolationibus conceptis vel inposterum concipiendis, & etiamsi talia forent, in quibus de verbo ad verbum speciale &expressam oporteret fieri mentionem, quæ omnia & singula, & quodlibet singulorũ, cassa & irrita, vacua, inania esse, & intelligi volumus, nulliusq; fore efficaciæ penitùs, & momenti, ipsis etiam ex certa nostra scientia per omnia derogamus.

In quorum omnium testimonium atq; robur perpetuum, præsentes scribi fecimus, & nostrorum Sigillorum munimine roborari.

Datum Cracoviæ in Octava Purificationis B. Mariæ Virg. A. Domini M. C. C. C. XXXIX.

Num. VI.

FRIDERICI
Bohemorum Regis,
Sac. Rom. Imp. Principis Electoris,
Ducis Bavariæ, Marchionis Moraviæ,
Ducis Silesiæ; & Lucemburgi,
Marchionis Lusatiæ, &c.

EXPOSITIO
Causarum susceptæ Regni Bohemici, & incorporatarum Provinciarum, Coronæ.

Lipsius lb. 2. Mon. Pol. 18.

Ut Sol, in aurora tenuior, assurgit, & inclarescit; Sic & virtute & meritis Fama cum ævo ipso augetur, & crescit.

Q. Curtius lib. 5.

Eludant licet, quibus fortè ac temerè humana negotia volvi agiq́; perſvaſum eſt: equidem æternâ conſtitutione crediderim nexuq́; cauſarum latentium, & multo antè deſtinatarum, ſuum quæq́; ordinem immutabili lege percurrere.

Stat. 3. Theb.

——*Manet hæc ab origine mundi*
Fixa dies bello; populiq́; in prælia nati.

Thucyd. lib. 2. in Orat. Peric.

Ferre, quæ divinitus immittuntur, neceſſariò oportet: quæ ab hoſtibus, viriliter.

NOS FRIDERICUS DEI GRATIA REX BOHEMIÆ, Comes Palatinus Rheni, & S. Rom. Imperii Elector, Dux Bavariæ, Marchio Moraviæ, Dux Sileſiæ & Lucelburgenſ., Marchio Luſatiæ &c. Univerſis ac ſingulis Orbis Chriſtiani Regibus, Electoribus, Princip. ac Statib. paratiſſima Noſtra officia, benevolentiam ac Gratiam, pro cujusvis conditione ac ſtatu, offerimus, notumq́; ſimul facimus; Nos minimè dubitare, quin jam unicuiq; intra & extra Romani Imperii fines abundè ſatis innotuerit, in quàm calamitoſum & periculoſum Avitum illud & inclytũ Bohemiæ Regnum, præcipuum S. Rom. Imperii membrum, unâ cum incorporatis Ipſi Provinciis, redactum ſit ſtatum: quantis cladibus, quantis calamitatibus, quantis hoſtilis malitiæ ac ſævitiæ planè antehac inauditæ rapinis, cædibus, incendiis, & devaſtationibus cultiſſimæ regionis, divexatum hactenus & dilaniatum fuerit: quantum ſit effuſum innocentiſſimi Sangvinis Chriſtiani: quanta libidinis execrandæ rabie honeſtiſſimis matronis & Virginibus erepta per vim pudicitia; quanta barbarie vagientes ab uberibus matrum infantes rapti, quàm immani truculentia per medium diſſecti ſint: quæ petulantia, quæ crudelitas, omnem profectò humanitatem excedens, præterea exercita, & ſatis longo tempore continuata fuerit. Fons autem & cauſa, unde tot calamitates, tot miſeriæ, aliiq; exceſſus huc usq; manarunt, & in poſterum etiam manare poſſunt, ipſius experientiæ indicio, & diverſimodis ſolidiſſimisq́; documentis jampridèm editis tàm clara

in luce posita est, ut eam proprio etiam taciti pectoris & conscientiæ testimonio ac stimulo convicti negare non possint ii, quorum consiliis & subsidiis & jam commemorata facta, & in eminenti dignitate constituti deditâ operâ seducti, atq; in præsentia pericula & dispendia conjecti sunt.

At verò hac extrema mundi fæce, & distractis in fidei & Religionis negocio in diversum sententiis, res ipsa jam tandem docuit, attestante Sacrâ Scripturâ, & communi veterum Ecclesiæ Doctorum adstipulante suffragio, in Conscientias hominum nullum esse Dominium, easq; nullis vinculis constringi, nullis machinis posse superari. Quinimò quoties vis ejusmodi tentata & adhibita fuit, vel opertis machinationibus, vel apertis molitionibus, toties infelicem res sortita est eventum, maximisq; in florentissimis regnis ac provinciis mutationibus causam præbuit.

His tamen omnibus posthabitis, posteaquam in Germanicæ potissimum Nationis Imperium, & huic conjunctorum atq; finitimorum Regnorum terras Advenæ quidam irrepserunt, novum atq; in recessu ipso omnibus Magnatibus ac Magistratibus perniciosissimum genus doctrinæ & opinionis introducentes, quo non solum apud Principes & summa Capita se insinuarunt, sed etiam eorundem Consiliarios & Officiales, & in commune simul Optimates & Primates opulentissimos plerisq; in locis, sub prætextu religionis & singularis sanctimoniæ, in suam sententiam pertraxerunt; præposterus quidam ac vehemens multorum animos invasit, & longè lateq; postea serpsit Zelus, omnes eos, qui â Romanâ Ecclesiâ discessionem fecerunt, omnibus modis affligendi, persequendi, & nisi ipsis assentirentur, quovis modo è medio tollendi. Unde enatum etiam illud est, licet in prædicta illa religionis diversitate, quæ tum in S. Romano Imperio, tum sigillatim in Regno Bohemiæ extitit, omni laude dignissimi Reges Antecessores omnibus viribus & curis in id incubuerint, quò publicæ pacis & tranquillitatis conservandæ gratia, prout in specie hisce provinciis concessa ab illis super hac re Privilegia, sancita conventa pacta atq; decreta ostendunt, moderatum inter utriq; religioni addictos servarent æquilibrium: ut tamen eorundem Successores (haud dubiè primæ magis, quâ imbuti fuerunt, informationis, quàm ipsius Naturæ aut inclinationis ductu,) præmemoratis pernicioſissimis hominibus, & ab illis dependentibus, tantum indulgere coacti sint, ut modò hanc modò illam novationem, proprio quodam motu & ausu, introduxerint, & non solum scriptis in publicum emissis omnes religionis concessiones, pacta, & super his collatas obligationes & juramenta periculosæ disputationum aleæ subjecerint, sed etiam facto ipso labefactare, configere atq; omninò abrogare ausi fuerint.

Hic Nos consulto taciti jam præteribimus, quæ hac in re tam multis ab hinc annis non secius in Rom. Imperio in universum hinc inde consilia inita, agitata & in actum interim deducta fuerint, & quibus fluctibus religionis navicula adhuc agitetur: siquidem aliis istud temporibus & ostensum est, & in posterum convenienti loco & tempore sufficientissimè manifestum evadet.

Inclytum

Inclytum verò Bohemiæ Regnum & huic incorporatas provincias in Specie quod attinet, neminem esse credimus, qui inficiari possit, & sole meridiano clarius esse non videat, quàm insigni decremento Romana illa Religio progressu temporis maximam partem exoleverit, clarissima verò Sacrosancti Evangelii lux effulserit, quæq; hanc ipsam tempestates sæpissimè exceperint. Quibus sanè nulla alia remedia inveniri potuerunt, quam studium aureæ pacis per certa pacta, concessiones & libera religionis Exercitia constituendæ & conservandæ, ne propter distractas in religione sententias ipsa etiam civilis conversatio & humana societas planè turbaretur & dissiparetur.

Hos limites quamdiu homines turbulenti non transilierunt, satis tranquillus utrobiq; rerum status fuit. At prædicti illi, impotentiâ efferveſcentium passionum abrepti, tranquillitatem illam salutiferæ pacis & concordiæ diutius ferre non potuerunt: Sed potius omnia extrema, ut dictum, ausi sunt; omnia citius jura divina & humana & rempublicam evertere non dubitarunt, quàm semel animo conceptam & altissimis radicibus infixam intentionem, omnia rursus aut sub Pontificis Romani Ecclesiasticum, aut tandem sub extranei alicujus politicum Dominatum redigendi, mutare aut abjicere vellent. Quâ ex re factum est, ut in his regionibus passim religionis gravamina in dies incrementum sumpserint, inprimisq; contra expressum tenorem Diplomatum Majestaticorum, subinde novæ machinationes & violenti actus excogitati & intentati Evangelicis fuerint. Testantur id templorum ab his recens extructorum demolitiones & obſerationes, emissa in Status minarum terriculamenta, interceptæ ipsis concessæ & licitæ defensiones, Christiano homine indignæ ac planè detestandæ subditorum persecutiones, maximarum angustiarum, infamiæ & periculorum corporis & vitæ, amissionisq; bonorum omnium comminationes: quæ omnia tàm summæ quàm infimæ conditionis personis contigerunt.

Cum ad ejusmodi injurias & vim vel inhibendam vel amoliendam tum ea, quæ Natura concedit, tum quæ conatus improborum extorserunt, media apprehenderentur & adhiberentur, quemadmodum multa his de rebus ab iis Ordinibus, quorum interest, dilucidè explicata & typis divulgata scripta consuli possunt: en! ad arma conclamatum, & ad hostiles impressiones descensum est, eoq;, proh dolor! nunc res devênit, ut non solum Regnum ipsum Bohemiæ, sed & aliæ huic unitæ & vicinæ regiones ac provinciæ celebratissimæ magna ex parte, quod vix siccis oculis quisquam aspiciat, flammis & ferro devastatæ, direptæ, pessundatæ & modò non in cineres redactæ sint.

Nec hoc dissimulandum, cum sæpius jam nominatæ provinciæ à multis retrò annis, maximè verò postremis illis, in bello contra potentissimum & infensissimum sanguinis & nominis Christiani hostem Turcam suscepto, Regnum Hungariæ, præsertim in castellis limitaneis manutenendis, extremâ fortunarum & sanguinis profusione juverint & propugnaverint; quod nihilominus ejusmodi excessibus locus datus sit, ut designata illa Castella limitanea & præsidiis & tormentis bellicis, aliisq; munitionibus penitus denudata, &

ta,& quæ ad Turcarum repreſſionem deſtinata erant, in excidium Bohemicæ Nationis omnia accerſita & converſa ſint. Interim verò per omnes ſimul Imperii oras & reſtitantia contributionum contra Turcam nomina magnâ ſeveritate exacta & coacta ſunt; & in quibusdam Circulis ſpeciatim ad Caſtella limitanea, ſarta tecta conſervanda ac defendenda ſuppetiæ pecuniariæ, uti etiam recentes aliæ contributiones efflagitatæ, ex parte etiam impetratæ ſunt: quæ tamen ipſe quoq; tantum abeſt, ut eum in finem, qui prætendebatur, collocatæ ſint, ut potius eundem in modum ad infeſtanda Imperii membra & ſocios nervos præbuerint. Quâ ſanè ratione non modò ipſo facto propugnaculum illud Chriſtiani Orbis non parum perforatum & convulſum, ſed etiam Hungaricæ Genti ſalutis ac ſecuritatis ſuæ expediendæ & conſtabiliendæ cura injecta eſt.

Magna autem Nos ſpes tenet, non minus eſſe cognitum toti Imperio, quonta fide, quanto candore tum Nos ipſi, tum quidam rectè & piè animati Electores ac Principes, atq; adeò alii nonnulli Proceres potentiſſimi initio ſtatim gliſcente, ac deinceps etiam incrementa capiente exitiali hoc ac tàm latè patente incendio tum præmonitionibus, tum, quibus decuit, interceſſionibus animos utrinq; tentaverimus, nec quicquam in Nobis deſiderari paſſi fuerimus; ſi fortè lenioribus rationibus & curationibus præveniri poſſet, ne latius malum hoc ſerperet & graſſaretur. Quinimò unicè hoc nobis fuiſſet in votis, quod ex optima etiam animi affectione tempeſtivè monuimus & conſuluimus, ut quantum fieri poſſet, hi inter Magiſtratus

giſtratus & eorum fidei commiſſos Subditos exorti motus, adhibitis Ipſis provinciis, laudabili veterùm exemplo, ſublatis omnibus ambagibus, è veſtigio ſopirentur & tollerentur. Quàm periculoſum enim & quàm parum ſit conducibile è longinquo extranea Magnatum & Principum accerſere interpoſitionis conſilia & auxilia, ipſa non rarò docuit experientia: dum tempus diſtantia locorum abſumit, interim verò mora longior invaleſcendi vires malo ſufficit, ſæpenumerò etiam alia periculoſarum ſuſpicionum fomenta ſubminiſtrat.

Conſilium hoc noſtrum ex optimo profectò animo profectum, atq; adeò negocium univerſum quod habuerit pondus, quem eventum, omnes. ſanè circumſtantiæ declarant. Suſpenſione armorum multi ſine fruge menſes conſumpti ſunt; hoſtis nihilominus interim impunè graſſatus, & interpoſitionis tempus damnosâ morâ protractum atq; amiſſum eſt: Cum tamen in ejusmodi caſibus, offenſionibus & violento hoſtium impetu continuatis, longè alia & quidem maturiora magisq; præſentanea remedia res poſtulârit; quinetiam ipſum interpoſitionis conatum effectu ſuo carere neceſſe fuerit, niſi & hoſtilitatum vis ſublata, & ſufficientis aſſecurationis certitudo eſſet ſubſtituta.

Extitiſſet præterea à beatiſſimo ex hac vita diſceſſu Divi Matthiæ Imperatoris, inclytæ memoriæ, exoptata quædam commoditas & Spes optimam rerum omnium pacem in integrum reſtituendi: Sed & illa, proh dolor! nefario hominum, privati ſui emolumenti rationem habentium, impulſu, quia nimi-

rum monſtrum illud, quod ſub pectore virulento geſtant, non amicæ transactionis obſtetricatu, ſed armatæ potius violentiæ machinis in lucem edi poſſe, ſibi perſuaſum habent, neglecta dicam, an intercepta eſt. Nam & hoc rerum ſtatu nulla ad exulceratos neceſſariò emolliendos animos accommodata indigenarum, patriæſa luti genuina fide conſulentium, aut Sublimiorum Perſonarum conſilia audita & admiſſa ſunt, ſed multò plus infidorum Regni Bohemiæ incolarum, imò omninò peregrinorum Advenarum, aut ab his certè pendentium flabella valuerunt.

Ex quo factum eſt, ut in locum realium præſtationum & aſſecurationum, ſanctiſſimâ obligationum religione firmatarum, chartacea tantum promiſſa aut in membrana ſaltem deſcriptæ confirmationes oblatæ ſucceſſerint: atq; interim infelices illi conatus, ipſa rerum gubernacula armatâ manu ac vi invadendi ac tenendi, pari paſſu ambulârint. Quæſitum etiam illud eſt, ut Leges fundamentales atq; Privilegia Regni, eorumq; obſervantia, in qua tamen unicum omnium obligationum fundamentum poſitum eſt, antiquari, Provinciæ, quæ liberæ Electionis jure gaudent, pari cum hæreditariis regionibus jugo ſubjici, atq;, ut brevi omnia comprehendamus, omnia jura perfringi, ac ſub prætextu animadverſionis in quosdam inſimulatos, multa millia inſontium funditus extirpari poſſent: ſimul etiam eâdem operâ extraneæ, omnibusq; Evangelicis infenſæ Nationes magno multorum millium equitum peditumq; numero, integræq; illarum legiones, longè aliud prætendendo, per ipſum Romanum imperium (quod tamen absq;

Princip-

Principp. Electorum conſenſu Romanorum Regi aut Imperatori neutiquam facere licitum eſt) in Bohemiam & haſce regiones introduci, quæ pro infeſto animi libitu graſſarentur, & furtis ac rapinis ſeſe locupletarent.

Hiſce omnibus valere juſſis, ſi in teſtimonium ingenuæ pacificationis conſtituendæ initio ſtatim arma fuiſſent ſepoſita, autores turbarum remoti, emendatio Regiminis nec non gravaminum præter æquum cumulatorum allevatio, adhibitis in conſilium Ipſis Provincialibus, ſuſcepta, ipſa enervata privilegia in integrum reſtituta, & efficacis obſervantiæ conſtanti uſu corroborata, itemq; his omnibus ſufficientibus aſſecurationibus (ſine quibus omnia alioquin fruſtranea fuiſſent,) cautum: facili planè negotio pax amiſſa reſtitui, & omnes aliæ prolixitates ac mutationes evitari potuiſſent

Cum verò horum nihil, ſed contrarium potius ipſo facto ſit præſtitum, in ſummas anguſtias redactæ, atq; ad omnia extrema compulſæ hæ Regiones ejusmodi remedium arripuerunt, quò & ſeipſas intolerabili onerum jugo eximere, & legitimam ſui defenſionem, Dei Optimi Maximi indultu, Naturæq; ipſius lege ſibi conceſſam, validioribus viribus firmare, & felicius perſequi poſſent. Quem in finem conſentientibus voluntatibus firmiſſimo unionis fœdere, regiis etiam antehac pollicitationibus fretæ, in unum quaſi corpus coierunt; ac deinceps deliberationibus ultrò citroq; habitis ad plenariam Regiminis mutationem, & ad novam dehinc Electionem unanimi conſenſu deſcenderunt. Cujus facti cauſas & documenta

Status Regni Noſtri Bohemici Provinciarumq; huic incorporatarum ejusmodi rationibus ac fundamentis expoſuerunt & roborarunt, ſcriptisq; editis publicarunt, atq; oculis omnium ſubjecerunt, ut quilibet paſſionum livore non infectus, circumſtantiis & cauſis impulſivis æqua rationis lance ponderatis, facilè cauſæ bonitatem vel conniventibus oculis videre & aſſequi poſſit. Itaq; Nos quoq; hoc in loco fuſiore hujus rei deductione ſuperſedebimus, multoq; minus jura & Privilegia Regni, & quæ ſit liberæ Electionis in Regno Bohemiæ conditio, prolixius hic inſeremus: ſed quemlibet potius ad publicata illa Statuum documenta, quæ diximus, remittemus.

Illud hoc loco in mentem nobis venit, interea temporis Regiam Electionem Francofurti ſuſceptam coincidiſſe, ubi itidem, quantum fieri potuit, unà cum reliquis, ex Collegio noſtro, Secularibus Septemviris optima fide conſuluimus, ne Electio illa tantoperè præcipitaretur, ſed ante omnia turbulenti bellorum motus hinc inde prius tranquillarentur. Etiam illud in ipſa Francofurto per Noſtros Conſiliarios eò deſtinatos frequenter proponi curavimus, ne Ordinum Bohemiæ Legati, uti contigit, omninò rejicerentur, ſed per eosdem ad oblatam interpoſitionem via ſterneretur.

Cum verò hujusmodi ex optimo quidem animo profecta conſilia locum nullum invenerint, & curſum rerum impetu ſuo ruentium impedire nequiverimus, unum illud tandem egimus, ut per Legatos Noſtros in omnibus celebratis Actibus cuilibet ſuum, quod obtinet, jus expreſſis verbis reſervari, & hac ratione etiam Ordinis harum Regionum nulla in re præjudicio aliquo prægravari, inter poſitis ſolemnibus, iisq; creberrimus proteſtationum formulis, tum etiam in hiſce talibus illud ſolum ſpectari curaremus, quod pro dictamine ſcientiæ & conſcientiæ Noſtræ ad libertatem & ſalutem Imperii conferret: idq; non privati alicujus commodi aut emolumenti, ad Noſtram Perſonam hinc redundantis, aucupio inducti, ſiquidem tum temporis, quæ poſtea conſecuta ſunt, planè Nos latuerunt, ſed publici boni gratiâ: quia nimirum verè periculoſas ejusmodi mutationes, quas Nos ſemper cavendas atq; declinandas eſſe duximus proſpeximus & metuimus: quas paulò etiam poſt Eventus ipſe comprobavit.

Poſtquam verò Electio in Regem Bohemiæ ab illius Regni & huic incorporatarum provinciarum in generali Conventu congregatis Statibus, conſentientibus ſuffragiis, ad Noſtram Perſonam delata eſt: teſtamur ante omnia DEUM illum omniſcium & optimam Noſtram conſcientiam, Nos omni Sanè tempore & Electorali dignitate & hæreditariis noſtris Principatibus ac regionibus, quas largiſſimâ DEI munificentiâ poſſidemus, abundè fuiſſe contentos: Ideoq; nec ad ſublimiora honorum faſtigia unquam adſpiraſſe, multoq; minus ſæpius jam dicti Regni Bohemici Diadema aut affectaſſe, aut Noſtram Perſonam & operam obtruſiſſe, aut quavis arte Nos inſinuaſſe. Rem ita ſe habere, Ipſi Ordines ac Status publicum Nobis teſtimonium perhibuerunt, & adhuc dum perhibere poſſunt. Et quæ tandem in tàm afflicto & perturbato rerum ſtatu cauſa ad id, quod diximus, allicere

licere Nos potuisset? Illud potius intimo cordis voto optavimus, ut non modò pax exoptata his in locis recuperari, sed hac ratione ipsum etiam Imperium majori tranquillitate & securitate frui & gaudere diutius potuisset. Etenim facili conjectura assequi possumus, tumultibùs his bellicis sic continuatis, Regionibus ita devastatis, quantum Nobis oneris, quantum solicitudinis, operæ, laboris ac discriminis accrescat, aliis interim taciti animi cogitationibus altâ mente repostis. Neq; in dubium vocamus, prudentes omnes rerum Censores æstimaturos, longè altioris esse & consultationis & resolutionis, oblatum aliquod regnum tali rerum statu acceptare, quàm pacatum recusare: Ob quod tamen factum historiarum monumenta quosdam singulari quadam commendatione extulisse novimus. Rursum autem testem citamus integram Conscientiam Nostram, si ullum aliquod medium certos Nos reddidisset, Nostrâ illâ Coronæ repudiatione infaustum isthoc bellum sine mora confici, preciosissimam simul pacem in constanti vigore conservari, totiq; Imperio Romano sufficienti assecuratione hac de re caveri potuisse; universas certè mundi dignitates atq; opes tantũ apud Nos non fuisse valituras, ut oblatam Regni Bohemici Coronam non respueremus: imò verò omnes Nostras vires vel extremo conatu ei rei lubentissimè impensuri fuissemus.

Idcirco etiam in tàm arduo negotio nulla præcipiti festinatione usi fuimus: sed inprimis Deum ter Optimum ter Maximum, qui tum adimit, tum adjicit regna, quibus vult, ardentissimis votis precati sumus, ut recto consilio cor nostrum instrueret; Dominorum item atq; Propinquorum Nostrorum consilia, re cum illis communicatâ, intimè exploravimus, ac tandem certis indiciis perspeximus, omnibusq; ultrò citroq; pensitatis circumstantiis, totum hoc Princeps negocium admirandâ planè Dei providentiâ & manu præpotentissimâ dirigi convicti fuimus. Hinc divinæ ejusdem voluntati ac vocationi nulla ratione resistere vel potuimus vel debuimus: eoq; minus, quod omni acie ingenii rem totam contemplantes aliud nihil deprehendimus, nisi sæpius jam citatos Ordines ac Status Regni Bohemiæ & confœderatarum provinciarum, susceptæ mutationis ratione Regiminis, & firmius stabiliendæ libertatis suæ, & multis retrò seculis notæ omnibus nulliusq; arbitrio adstrictæ Electionis, quæ miris modis & torqueri & tandem extorqueri ipsis voluit, plurimas easq; gravissimas, solidissimas, æquissimas ac sufficientissimas habuisse causas: quibus factum ipsum & pro se ac per se justum, pium ac laudabile & repetitis ex omni memoria Ecclesiasticarum & Politicarum historiarum exemplis facili labore demonstrari potest. Neq; verò hoc ullo agimus modo, ut cuiquam, quod suum est, contra jus fasq; aut eripiamus, aut ereptum detineamus: cum potius nobis sit propositum, eos, qui suam libertatem, privilegia, literas Majestaticas, liberum Religionis Evangelicæ exercitium, atq; alias, bono titulo acquisitas, immunitates possident, contra vim injustam tueri ac defendere, eademq; illis conservare; tùm etiam tàm præcellentes Regiones ac multa millia honestorum hominum ab ulterioribus pressuris atq; interitu finali, quantum in Nobis est, quantumq; Deus virium & gratiæ concesserit, vindicare & manutenere.

Cum igitur hîc non temporarium aliquod mundi gaudium, non voluptates, non utilitates ullas consectari, in animum induxerimus, sed potius, imò verò unicè, DEI gloriam, communis reipublicæ salutem, afflictorum solatium, protectionem & conservationem tanquam scopum nobis præfixa habeamus, unaq; tot piarum mentium fremitus & gemitus magnâ cum animi commotione in mentem Nobis revocemus: indubitatam animo spem concepimus, fore, ut DEUS fidelissimus Parastates Nos in proposito hoc Nostro non deserat, sed supra omnia mentis humanæ cogitata cœlitus ejusmodi media Nobis ostendat, & suggerat, ut ejus præsidio & auxilio fulti ea & suscipere & perficere valeamus, quæ divina ipsius providentia atq; omnipotentia pro sua imperscrutabili sapientia jamdudum decrevit; Nosq;, si subterfugeremus, non modò conscientiam Nostram gravissimè oneraremus, sed & DEI indignationem & pœnas justissimas in Nos provocaremus. Non minorem Nobis curam injecit & illud, si divinæ huic vocationi Nos subtraxissemus, eâ de causâ omnem effusi dehinc sanguinis innocentis & regionum devastatarum culpam, cum primis ab Evangelicæ Religionis sociis, haud dubio mentis augurio Nobis imputatum iri, ansamq; præbuisse videri possemus, si adversæ parti propositum institutæ & ante oculos omnium positæ oppressionis Bohemorum & cum his unitorum ex sententia successisset, deinceps etiam in Nos Ipsos & alios Evangelicam veritatem profitentes Imperii Status semel arrepta arma vertendi, atq; ita enitendi, ut illud ipsum tandem in effectum deducant, ad quod à prædictis pacis & quietis osoribus assiduis cohortationum stimulis & quidem eâ vehementiâ vel publicis divulgatis scriptis instigantur, ut etiam innocentissimis infantulis, ac ne propriis quidem liberis, nec eminentissimis Principum familiis, eorumve regionibus ac subditis parcant: uti etiam plurima ex eadem illa pharetra deprompta minarum tela hinc inde volitant. Cæterum & illud Nobis non postremo loco habendum, sed potius accuratissimè hoc casu ponderandum & attendendum fuit, alioqui inclytum illud Regnum Bohemiæ unâ cum incorporatis Provinciis amplissimis, cum tamen præcipuum quoddam Imperii sint membrum, & quasi quoddam propugnaculum, peregrinis Nationibus oppositum, nisi in tempore Ipsis commodioribus rationibus prospectum fuisset, prorsus in alienas manus pervenire, aut in ejusmodi statum conjici potuisse, ut vel omninò tandem à Sacro Germanicæ Nationis Imperio avellerentur, aut sanè huic plurima inde incommoda, vicinis præsertim Evangelicæ Religionis Electoribus & Principibus enascerentur. Quod profectò ipsum vel Electoralis Nostræ Domus & Principatus, Superioris Palatinatus, causâ minus eò indulgere aut potuimus aut debuimus: quia nimirum obligatio illa & fides, quâ Imperio dulcissimæ Patriæ Nostræ conjuncti & devincti sumus, aliud suadet, & Domus Nostra Electoralis cum Regno Bohemico vetusto quodã hæreditariæ unionis vinculo continetur. Quæ res facit, ut, quod in hujus Regni conservationem, allegatis de causis, vigilantiori cura incumbere necesse habuerimus, planè confidamus, neminem illud in sinistram partem interpretaturum, qui omnia hæc, uti sese habent, citra concitati animi passiones accuratè

ad veritatis stateram sufficienterq; expenderit.

Quæ cum ita sint, in nomine individuæ TRINITATIS, ad sanctissimam ejus gloriam propagandam, ad solatium tantoperè afflictis & præsidium præstandum, ad communem libertatem & salutem conservandam, atq; ob alias plurimas easq; maximè necessarias causas, diversis Ordinum Bohemiæ omniumq; in commune incorporatarum Provinciarum subjectissimâ demissione hactenus ad Nos missis literis petitoriis permoti, gravissimarum Legationum autoritate inducti, admodum ponderosis persuasionibus ac desideratissimis votis expugnati, ab Illis ad Nos delatam consentientem Electionem tandem approbavimus, atq; ita Coronam & gubernationem inclyti Regni Bohemiæ & insertarum huic Provinciarum oblatam acceptavimus: Deinceps etiam Sereniss imâ atq; unicè dilectissima Conjuge Nostra Magnæ Britanniæ Regis Filiâ Comite, DEO duce benignè adjuante, Ipsi itineri Nos commisimus, & Pragam recepimus. Quo facto, paucis post diebus, unâ cum dulcissimâ vitæ Sociâ, unanimi consensu & studio omnium in universum Ordinum, & ingenti cum applausu totius populi, adhibitis consuetis solennitatibus, Diademate Regio coronati, atq; in solio Regali collocati sumus. Hunc Nostrum thronum Præpotentissimus Monarcha invictissimo brachio suo clementissimè Nobis confirmet, & Spiritum suum sanctum benedictionemq; liberalissimè conferat, ad gubernationem totam sic administrandam, ut omnium Dominantium Dominus Salutis nostræ Adsertor glorioss imus JESUS CHRISTUS tàm Nos Ipsos quàm Subditos Nostros Ipse gubernet, utrisq; auream pacem & Rempublicam felicissimè florentem longo tempore largiatur atq; conservet.

Attestamur insuper coram Deo & Mundo universo, quod in administratione hujus Nostri Regiminis firmissimè cum animo Nostro statutum habeamus, haudquaquam Nos concessuros, ut quisquam Religionis nomine, ac ne illi quidem, qui adhuc Romanæ Ecclesiæ ritus sequuntur, si modò constitutionibus hujus Regni & Regionum adjunctarum, inprimisq; Religionis caussâ concessis literis Majestaticis congruam, pacatamq;, & inculpatam duxerint vitam, molestiâ aliquâ afficiantur, opprimantur, aut etiam in usitato Religionis exercitio impediantur. Quo fine etiam memorati illi Romano-Catholici per Regnum Bohemiæ & huic agglutinatas Regiones magno numero communem illam defensionis confœderationem, pari modo intercedente corporalis juramenti religione, & manuum propriarum subscriptione amplexi, susceptam Nostri Electionem & subsecutam Coronationem ratam habuerunt, & ad debitam Nobis obedientiam sese obstrinxerunt.

Decrevimus itidem planissimè, serio studio atq; ardore summo eò cogitationes animi omnes dirigere, omnibusq; viribus eniti, ut non solum in Regno Nostro Bohemico & adunatis provinciis alma pax ante omnia per Dei gratiam recuperetur, & omnia belli incommoda aboleantur, sed etiam in ipso Imperio arctior animorum conjunctio sublatâ diffidentiâ conglutinetur, atq; ulteriorum periculorum seges in ipsâ herbâ præcidatur ac tollatur: Si modo alii quoq; in

commune similiter animo affecti extiterint, Nobisq; obstaculo non fuerint, & majoribus turbis ac distractionibus causas Ipsi non præbuerint.

Ad extremum etiam ea Nobis mens est, is animus, ut cum omnibus Christianis Regibus, Electoribus, Principibus & Ordinibus, præcipuè verò cum vicinis, sinceræ benevolentiæ, amicitiæ, reciprociq; affectus & animi necessitudinem, quantum in Nobis est, religiosè colere, alere ac fovere cupiamus: ac vicissim, Nobis de iis mutua pollicemur, confidimusq; fore, ut Nos contra omnes contrariam intentionem animo foventes, Nosq; cum Regno & Regionibus Nostris hostili animo atq; vi infestare præsumentes, consilio, operâ & re juvent, ac suppetias Nobis ferant. Id quod hisce etiam amicè, benevolè & clementer eos rogatos & requisitos volumus. Nostra vicissim Ipsis omnibus ac singulis, sicubi res postulaverit, pro virili offerimus studia. Quod quidem rebus sic stantibus, ac periculosissimis hisce temporibus, publico hoc Nostro scripto, ut singulis innotesceret, ac documento esset, significari, consultum necessariumq; esse duximus. Datum in arce Nostra regia Pragæ $\frac{28.\ \text{Octobr.}}{7.\ \text{Novembr.}}$ An. 1619.

Num.

Num. VII.

GENERALIS

STATUUM POLONIÆ

In Comitiis Warsavienſibus Anno M. D. LXXIII.

inita institutaq;

CONFOEDERATIO.

Qua disertis verbis, interveniente juramento, cavetur non licere

REGIÆ MAIESTATI

1. Liberum Religionis exercitium turbare,
2. Subditorum copias militari apparatu extra Regni limites ducere, publicamq; expeditionem, sine Procerum unanimi consensu, suscipere.

Seneca Epist. 97.

Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent; hoc ipso continetur.

Nos

NOS Senatores Regni, seu Coronæ, Spirituales, & Seculares equestris status, Ordinesq; reliqui unius & indivisæ Reipub. Majoris, Minorisq; Poloniæ, ex Magno Ducatu Lituaniæ, Kioviæ, Voliniæ, Podlasiæ, nec non Terrarū Russiæ, Prussiæ, Pomeraniæ, Samogitiæ, Livoniæ, & Civitates Reipub.

Notum facimus omnibus & universis, quorum interest, ad perpetuam rei memoriam, quod sub hoc periculoso Interregni tempore operam nostram diligentem, more & instituto Majorum nostrorum, imploravimus in hoc conventu Warsavienſi, quibus modis Nosmet inter Nos pacem, justitiam, defensionem, bonum Regimen Reipub. &c. tenere, & conservare possemus.

Ideo constanti unanimiq; consensu, & sacrosancto fidei juramento, Nobismet ipsis omnibus invicem, nomine totius Reipub. pollicemur, sub vinculo fidei, honoris, & conscientiæ nostræ.

I.

Inprimis nullam Nos inter Se unquam divisionem seu distractionem facturos, neq; ullam dismembrationem admissuros, uti in una individua Repub.

II.

Neq; una pars absq; altera hūc supremum Magistratum, scilicet Regem, electura est, nec factionibus privatis quisquam laborabit; sed secundum hîc determinatum locum, & tempus, ad Conventum generalem totius Coronæ veniemus, conjunctim & pacificè hunc actum Electionis, DEO *ita volente, ad debitam & justam perducemus executionem.*

III.

Nec aliter in Regem consentiemus, nisi his ex-

 pressis,

pressis, & certis conditionibus:

1. Scilicet, ut ante omnia jura, privilegia, & libertates nostras omnes, quæ sunt, & quæ illi porrigemus, post Electionem Jurejurando confirmare, & manu tenere debebit.

2. Expresse autem & præcipuè id juramento cavebit, se pacem communem inter dissidentes, & differentes in fide & Religionis causa, in hoc Regno semper conservaturum;

3. Et Nos ultra limites Regni seu Coronæ nunquam ullo modo ducturum, neq; precibus suis Regiis, neq; solutione quinq; Marcarum super hastam; Neq; expeditionem publicam seu Generalem sine Comitiorum laude moturum esse.

IV.

Propterea consurgere contra talem, cujuscunq; status aut conditionis fuerit, pollicemur, vel qui aliud tempus & locum Electioni præfigeret, sive eligeret, aut tumultuari in eodem vellet, aut milites privatim conduceret, aut Electioni unanimiter concluſæ, refragari, & contravenire auderet

V.

Et cum in Repub. nostra non parvum, sed magnum sit dissidium in causa Religionis Christianæ, ex qua occasione inter dissidentes seditiones damnosæ emergere possent; uti in aliis externis Regnis nunc videre licuit, hoc modo obviandum duximus.

1. Pollicemur Nobismet ipsis inter Nos invicem pro Nobis & successoribus nostris, in perpetuum, sub vinculo juramenti, fide, honore, & conscientiis nostris, quod Nos, qui sumus dissidentes in Religione, pacem inter Nos conservabimus, & ex hac causa Religionis, & mutatione in Ecclesia sanguinem nunquam profundemus.

2. Neq; ut alius alium affligat, confiscatione bonorum, carceribus, exilio vexet, consentiemus, & admittemus.

3. Neq; ullum Magistratum sive Superiori-

tatem ad talem progressum ullo modo adjuvare debebimus.

4. Imò si quis ea ex causa hujusmodi progressu uti, & sanguinem profundere vellet, opponere Nos omnes debebimus, etiamsi sub prætextu alicujus Decreti, sine processu aliquo juridico, quisq; id facere conaretur.

5. Sic tamen quod per hanc nostram Confœderationem Superioritati, sive Jurisdictioni, Dominis in subditos, tàm Dominorum Spiritualium, quàm Secularium nihil derogatum esse voluimus, neq; obœdientiam subditorum erga Dominos infringimus: quin imò, si alicubi talis licentia sub prætextu Religionis esset, tunc, uti semper licuit, licebit & nunc unicuiq; Domino in subditum, ob non præstitam obœdientiam, pro merito animadvertere, tàm in Secularibus, quàm in Spiritualibus.

6. Et ut omnia beneficia, juris Patronatus Regii, Prælaturarum Ecclesiasticarum, uti Archi-Episcopatus, Episcopatus, & alia omnia beneficia conferantur non aliis, quàm Romanæ Ecclesiæ Clericis, Indigenis Polonis, juxta statuta Regni.

VI.

Et cum ad Confirmandam hanc pacificationem multum conferat, ut differentiæ inter Status sopiantur, scilicet Statum Spiritualem & Secularem, de rebus Politicis & temporalibus, pollicemur Nos omnes inter Nos quamprimum composituros aut hoc proximè futuro Electionis conventu.

VII.

Administrandæ justiciæ modum talem in suo robore conferamus, qualem sibi quisq; Palatinatus unanimi consensu constituit, aut adhuc constituerit.

VIII.

Et sic etiam de munitione arcium finitimarum.

IX.

Quicunq; alicui de certo debito sese inscripsit, & ad Acta Castrensia sese firmâ inscriptione

respondere submisit, sive ante mortem, sive post mortem Regiam, tales omnes secundum suam Inscriptionem progressum juris pati, & ferre debebunt, & Domini Capitanei vigore hujus Generalis Confœderationis, sine omni dilatione juxta usitatam formam, judicare, procedere, exequi tales causas sunt astricti: Exceptis his Palatinatibus, qui sibi formam justitiæ administrandæ, & executionem specialem sub Interregno constituerunt, aut adhuc constituent.

X.

Inscriptiones omnes & resignationes Bonorum perpetuas, coram Autenticis actis factas, & fiendas sub Interregno unanimi hujus Confœderationis consensu ratificamus & confirmamus.

XI.

Neq; sub hoc Interregno (incipiendo à die mortis Regiæ) ulli in progressibus juris fatalia aut præscriptio in posterum nocitura est, ad causæ ipsius progressum & justitiam consequendam.

Sic

XII.

Sic etiam quibus incumbebat terminus tollendæ pecuniæ de bonis pro futuro festo Natalis & Circumcisionis Domini, sive aliquo alio tempore, hi omnes debeunt, & sint astricti tollere summam pro prima Juridica post Electionem, DEO volente, futuri Regis, uti ad primam Positionem librorum Terrestrium.

XIII.

Pollicemur id quoq; Nobismet invicem, quod eundo, & redeundo ad futurum Electionis Conventum, ibidemq; in loco nihil violenter Nos inter Nos nec in quenquam acturos.

Hæc supra commemorata omnia pollicemur pro Nobis, & Successoribus nostris, constanter tenere, & conservare, sub fide, honore, & conscientiis nostris.

Et si quis contravenire vellet, & pacem communem ordinationemq; convelleret,

velleret, contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem.

Pro meliori testimonio, certificationeq; horum omnium supra scriptorum, Sigilla nostra applicavimus, & manibus propriis subscripsimus.

Actum Warsaviæ in Conventu Regni Generali Poloniæ. 28. Mensis Januarii.

Anno Domini
1573.

Num.

Num. VIII.

HENRICI
Silesiæ Ducis
Ex Majoribus hodiernorum Principum Ligio-Brigensium
liberalissima
EPISCOPATUS VRATISLAVIENSIS
Dotatio.

NOS HENRICUS, Dux Silesiæ, Cracoviæ, & Sandomiriæ, meditantes & sollicitâ revolventes indagine, qualiter per Nos, & nostros Progenitores, Ecclesia B. Johannis in Vratislavia, nec non bona, possessiones ipsius Ecclesiæ, atq; Monasteriorum, aliorumq; piorum locorum possessiones & Prædia,

Prædia, quæ eidem Episcopatui sunt subjecta, multiformibus ac diversis injuriis, pressuris, & gravaminibus infinitis, in nostræ salutis dispendium, hactenus fuerunt desolata. Quorum etiam damnorum æstimationem, propter infinitatem ipsorum, ad certam non possumus reducere quantitatem.

In satisfactionem Dominorum ipsorum, & restaurationem violentiarum illatarum tam Personis, quam Prædiis supradictis, pro salute animæ nostræ, ac progenitorum nostrorum, in remissionem peccatorum, quæ quacunq; temeritate commisimus, in bona valetudine mentis nostræ, de consilio, & consensu Baronum nostrorum, damus, conferimus, & liberaliter elargimur omnibus Possessionibus, Civitatibus, Vicis, Villis, omnibusq; Prædiis, tam rusticis, quam urbanis,

urbanis, puram, perfectam, & integram libertatem ab omnib9 servitiis Teutonici Juris atq; Polonici, ab omnibus angariis & perangariis, collectis pariter, & vecturis, & aliis quibuscunq; vexationibus, quocunq; nomine censeantur.

Liberamus etiam expresè & nominatim Terram Nissensem, & Othmouchovienſem, nec non & alia bona Ecclesiastica, in Vratislavienſi Diœcesi constituta, ab omnibus servitiis supradictis.

Renunciantes ex nunc pro Nobis nostrisq; Hæredibus & Successoribus quibuscunq;, tàm ex testamento, quàm ab intestato venientibus, omni Jurisdictioni, & Juri Ducali, quod Nobis competebat in possessionibus supradictis;

Conferentes etiam Vratislavienſi Ecclesiæ Dominium, Jurisdictionem, & facultatem Majoris Judicii super causis

ſangvinum, & ſpecialiter ſuper omnibus cauſis majoribus, quæ Jus Ducale hactenus contingebant;

Conferentes etiam eidem libertatem in Terrâ Niſſenſi prædicta, & Othmouchovienſi, tàm in Judicibus, quàm moneta;

Volentes, ut Epiſcopi, qui pro tempore fuerint, in ibidem plenum dominium, perfectumq; in omnib9 habeant Jus Ducale.

Ad executionem autem omnium prædictorum, ne prædicta noſtra voluntas, & pium arbitriū aliqualiter violetur, in poſſeſſionem omnium prædictorum ipſum Epiſcopum, ejusq; nuncios ſeu Jurium Procuratores per SubCamerarium noſtrum in corporalem poſſeſſionem fecimus induci.

Reſtituimus inſuper Eccleſiæ Vratislavienſi Bandlowitz, cum toto diſtrictu, ſicut Epiſcopus prius poſſidebat, quod violenter abſtuleramus eidem; nec non omnes poſſeſſiones, & prædia, quæ per Patrem, ſeu Patruum, vel per Nos vitæ noſtræ temporibus indebitè fuerunt occupata.

In cujus rei teſtimonium, & evidentiam pleniorem, præſentes literas ſcribi juſſimus, noſtri Sigilli munimine roboratas.

Actum Vratislaviæ Anno Domini M. C C. X L.

Præſentibus his :

Bernhardo Præpoſito Miſnen. & Cancellario noſtro,
Nonckero Palatino noſtro,
Simone Gallico,
Henrico de Wiſenberg,
Polizone de Schnellenwalde,

Schambario de Schildberg,
Günthero de Biberſtein,
Ragusio de Bogrell,
Petro Stoſchowitz,
Wernhero de Legnitz,
Pisilhero Colneri.
Jaroslao de Habersdorff,
Budowigio Copatſchin,
Rascone Dremligk, & aliis, quàm pluribus fide dignis.

Datum per manum Ludovici Protonotarii noſtri in Vigilia B. Johannis Baptiſtæ.

Num.

Num. IX.

HENRICI IV.
Sileſiæ Ducis benigniſſima COLLEGIATAE Eccleſiæ S. CRVCIS in Caſtro Vratislavienſi Fundatio.

IN NOMINE DOMINI, Dei æterni, Amen.

OMNibus Chriſti fidelibus *præſentes literas inſpecturis* Henricus Quartus, *Dei Gratia, Dux Sileſiæ, & Dominus*

minus Vratislaviæ, cælestis vitæ consortium, stabilitatemq; perpetuam.

Subscriptorum religiosa benignitas, quæ divini Nominis cultibus ampliandis studio devotionis sollicito invigilat, hac Nos præcipuè necessitatis lege constrinxit, ut, quos à Deo susceptæ principandi prærogativa magnificat, divinos honores piis extollamus officiis, ac caritativis operibus imitemur, ad laudem & gloriã Regis cœli.

Cupientes igitur DEO gratis Divorum Principum Progenitorum nostrorum inhærere vestigiis, (ut & Nos de talento, Nobis credito, quidpiam in thesauros cœlestis Patris-familias apponamus, eiq; Catholicæ subjectionis debita tribuamus officia, per quem Reges regnant & Potentes scribunt justitiam, ad honorem Omnipotentis Dei, ac vivificæ Crucis Christi, pro remedio peccatorum nostrorum, nostraq; ac Parentum nostrorum æterna salute, specialiter etiam in sublevamen animæ Patrui nostri carissimi, Domini

Vladis-

Vladislai, piæ recordationis, quondam Saltzburgensis Archi-Episcopi, nec non Illustrium Principum, Domini Ottokari, quondam Regis Bohemiæ, ac Boleslai, Ducis Cracoviæ, Avunculorum nostrorum, quorum memoria sit beata) Ecclesiam collegiatam infra muros Castri nostri Vratislaviensis fundare decrevimus, fundatam construere, ac dotare constructam in modum ac formam inferius subnotatam.

Statuimus enim in ead. Ecclesiâ.

I. Quinq; Prælaturas.
   1. Præposituram
   2. Decanatum,
   3. Scholastriam.
   4. Cantoriam.
   5. Custodiam,

II. Insuper Duodecim Canonias; *in quibus Prælaturis & Canoniis collocatæ Personæ, ad Dei cultum idoneæ, Ecclesiasticis ministeriis obsecundent.*

Et quoniam ſecundum Apoſtolum, qui altari ſeruit, debet vivere de altari, & qui ad onus eligitur, non debet â mercede repelli, Nos prædictis, tàm Prælatis quàm Canonicis ſic providimus abundanter, ut de victu ſecuri, Miniſterio SANCTÆ CRUCIS *libertius atq; fidelius ſint intenti.*

I.

Præpoſituram igitur quam primam atq; præcipuam ejusdem Eccleſiæ eſſe voluimus dignitatem, ſub his bonis atq; reditibus conſtruimus, & fundamus: *Addicimus enim eidem allodium, & villam Radlowitz, ad noſtrum dominium pertinentem. Pertinebit inſuper ad eandem plenum dominium villæ Luthenow, ſpectans olim ad Eccleſiam Parochialem in Olſnitz, & de molendino ejusdem villæ habebit annuatim marcam in cenſu, cum piſcina ejusdem molendini, quod etiam gratis molere tenebitur ad curiam Præpoſiti memorati. Inſuper habebit decimam ſeptimanam in telonio in Civitate Olſnitz prænotata, cum omni jure decimationum in villis ſubſcriptis: In villa Lowici, in villa Neciſſo, Spalitz, Rathei, Dambrow, Smarſow, Stampen, Bugoſchitz, Jenckwitz, Bozow, omnes fortunas decimales, maldratæ etiam decimales viginti octo de allodiis adjacentibus Civitati noſtræ Olſnitz, huc pertinebunt; nec non & decimæ in campis, in locis & villis ſubſcriptis: In tota villa Socolonitz, in Tockar, in paruo Boguſchitz, in Medar, in curiis jacentibus ſuper Schwirſnam, nec non decimæ de ſex manſis Boguſchitz, de Smolna, quæ omnes decimæ ad jus prædictæ Eccleſiæ de Olſnitz pertinebant. Vineas verò de Olſnitz, humuleta, ac molendinum ibidem, Dnus Petrus, Notarius noſter, (olim plebanus in Olſnitz) nunc autem Præpoſitus* SANCTÆ CRUCIS *tenebit, & poſſidebit ad tempora vitæ ſuæ; quo defuncto, fructus vinearum ipſarum, cum uſibus humuleti, ac proventibus molendini,*

dini, ad quotidianas distributiones cedent, tam Prælatis, quam Canonicis, qui pro tempore fuerint residentes.

2. Ad Decanatum autem prædictæ Ecclesiæ pertinebit *Villa Wirzow, cum molendinis, & omnibus pertinentibus ad eandem, quæ spectabat olim ad Jus Ecclesiæ nostræ in Vratislavia cum decimis, & juribus infrascriptis: In villa Hennigesdorff, & Cuntzendorff, & Bresin, & in Gola omnes fertones decimales.*

Item in Curaschovv quatuor marcæ, nec non decem & septem maldratæ decimales in Wilschin, quæ decimæ olim ad Jus ejusdem Ecclesiæ de Vratislavia pertinuisse noscuntur; maldratæ insuper decimales in Carsovv, & novem marcæ in bonis filiorum quondam Byritzlai de Byczen, spectantes olim in Niemetz, ad Capellam seu Oratorium Castri nostri.

3. Scholastriæ quoq; inscriptos reditus deputamus: *Viginti quinq; parvos mansos censuales in Sydlowitz, item in Zawidowitz 36. parvos mansos censuales, In Schüsseldorff 34. parvos mansos, item tertiam dimidiam marcam in villa Garthendorff ante Bregam, deputantes nihilominus eidē pro Agricultura allodium Jeschkittel, quod olim fuit militis nostri Quilisonis.*

4. Cantoria, siquidem ejusdem nostræ plantationis, possidebit *allodium sex mansorum, pertinens olim ad Ecclesiam parochialem in Damatzlovv, cum annonis & decimis infrascriptis: In ipsa villa Damatzlovv quadraginta tres maldratas triplicis annonæ, tritici, Siliginis, & avenæ, item in Nova Ecclesia erunt triginta maldratæ, quinq; tritici, decem siliginis, quindecim avenæ; in villa Stabelvvitz novem marcæ argenti cum dimidia; in villa Hermanni sex marcæ & dimidia, item in Gnecovvitz quarta dimidia marca, in Schmidefeld decima in campis, in allodio, quod est Hermanni Aurifabri propè Lessvvitz decima, in allodio Tylonis de*

Legnitz circa Leßnitz, decima in campis, in allodio Gotkini decima in campis, quæ decime licet olim ad Eccleſiam in Damatzlovv pertinerent, nunc tamen ad ampliandas dignitates prædicti reditus ſunt translati.

5. Cuſtodiæ verò, quam fundabimus ibidem, contulimus *pro curia ſive allodio villam Radlovv, prope Zinckvvitz, nec non 25. manſos cenſuales in Schönavv villa noſtra, propè Nametzlovv, quæ Polonicè Milovvitz nuncupatur. Spectabunt etiam ad jus Cuſtodiæ prædictæ annonæ & decimæ infra ſcriptæ: In Criſovvitz novem triginta maldratæ decimales triplicis annonæ, in Baumgartn 20. maldratæ, in Jaſowitz 16. maldratæ in Stinavia 8. maldratæ, in Roſenhan plenum dominium & proprietas ſex manſorum, quæ omnia olim ad Parochialem Eccleſiam in Olavia pertinebant. Factæ ſunt autem ſectiones diviſiones, ac translationes redituum, decimarum, cenſuum, proventuum, ac villarum*

villarum in præſcripta forma de Parochiis ad ſupraposita perſonas, ad gloriam S. Crucis, *ad noſtram inſtantiam, ex cauſis rationabilibus, per Venerabilem Patrem, Dominum* Thomam, *Vratislavienſem Epiſcopum, ejus ad hoc accedente conſenſu, Capituli meraq; ac libera voluntate, eorum quoq; Plebanorum, quorum intererat, requiſito conſenſu pariter, & obtento.*

II.

Ad Præbendas autem, ſeu Canonias, quas, ut prædiximus, fundare decrevimus in Eccleſia S. Crucis, infra ſcriptas villas ac poſſeſſiones, ad noſtrum ſingulare dominium pertinentes, cedimus, *inducentes ipſas in corporalem poſſeſſionem dictorum bonorum, renuntiantes ex-nunc pro Nobis & quibuslibet noſtris Succeſſoribus omni dominio, omniq; vendicationi, ſeu juri, quod Nobis ipſis, vel Noſtris Succeſſoribus, aut Hæredibus, competeret in eisdem, aut competere cuipiam videre-*

videretur, salvâ lege traditionis, *quæ inferius exprimetur.*

Villæ quidem, quas ad hoc deputamus, sunt hæ : *In villa Heinrici 28. magni manſi cenſuales, Item Belaw, quæ continet 48. manſos magnos cenſuales, item in villa Grodis 32. manſi magni cenſuales; villa Peterwitz circa Leunſtein, quæ continet 37. manſos magnos cenſuales; Villa Franckenberg, quæ continet 20. magnos manſos cenſuales, Tirpitz habet 38. parvos manſos cenſuales.*

Pro ſupplemento verò defectuum in Præbendis prædictis adjicimus *duos magnos manſos in Bilavia; & 15. parvos manſos in Pfaffendorff, propè Reichenbach; & tres manſos in Villa, quæ aliquando Leunſtein nuncupatur; Item 11. parvos manſos in Milowitz, & 14. in Villa Alberti propè Beroltsſtadt.*

Adjicientes inſuper ad complementum duodecim Præbendarum in Eccleſia S. Crucis *in opere monetæ noſtræ tres marcas auri annis ſingulis perſolvendas.*

Ne autem in poſterum communio valeat parare diſcordiam, Nos de conſilio Venerabilis Patris, Domini Thomæ, Vratislavienſis Epiſcopi, easdem Præbendas ita duximus limitandas :

Ut Prima *quidem Præbenda in villa Heinrici habeat 10. & octo magnos manſos; & 3. parvos manſos in Pfaffendorff.*

Secunda *10. magnos manſos ibidem; & 10. magnos manſos in Bela.*

Tertia *in Bela 20. magnos manſos.*

Quarta *10. & 8. manſos ibidem; & duos magnos manſos in Bilavia.*

Quinta *20. magnos manſos in Grodis.*

Sexta *12. magnos manſos ibidem; & 12. parvos manſos in Pfaffendorff.*

Septima *20. manſos magnos in Peterwitz.*

Octava *10. & ſeptem magnos manſos ibi-*

dem; & tres in antiquis Leunſtein.

Nona *8. parvos manſos in Tirpitz; & undecim in Milenow; & 14. in Alberti villa prope Beroldſtadt.*

Decima *in Franckenberg 20. magnos manſos.*

Undecima *in Tirpitz 30. habeat parvos manſos.*

Duodecima *de opere monetæ noſtræ percipiat annuatim tres marcas auri.*

Solvet autem quilibet prædictorum manſorum, qui magnus fuerit, annis ſingulis quinq; fertones argenti, & ſex menſuras triplicis annonæ, duas tritici, duas ſiliginis, & duas avenæ; parvus verò manſus dimidiam marcam argenti, & maldratam annonæ, triplicis annonæ, prout conſuetudo generalis terræ obſervat.

Quos quidem manſos, omnesq; villas prædictas, in Jus plenum, merumq; dominium in Scultetos villarum, ſuperius expreſſarum, damus, nec non Judicium in majoribus cauſis ſanguinum, quæ capitales dicuntur.

Pro curiis inſuper, & allodiis, in quibus iidem Canonici ſuas ſtatuere valeant araturas, damus Eccleſiæ S. Crucis *villas noſtras, videlicet Syrnici propè Domatzlau; 8. manſos in bonis Breniconis; Item Villam Rebitz. Addita quoq; eſt ipſis per Venerabilem Patrem, Dominum Thomam, Vratislavienſem Epiſcopum villa Popovvitz, pertinens olim ad Capellam noſtri Caſtri in Niemetz. Quibus omnibus villis in duodecim portiones diſtinctis, quilibet Canonicorum quatuor manſos parvos excolendos accipiat, & ſi quid adcreverit, pro communibus uſibus Eccleſiæ, de Canonicorum conſilio, diſponatur.*

Damus quoq; ipſis Canonicis villam noſtram, quæ dicitur Mceſco, pro refectionibus dandis in anniverſariis, inferius annotatis, *in modum & formam, quam duxerimus ſtatuendam.*

Item

Item addimus eis Villam Zemplin, sitam inter Vratislaviam & Opatovvitz, pro communi utilitate Capituli.

Volumus etiam ut possessiones & villæ, quas in Agriculturam tradidimus Canonicis S. Crucis, *nec non villæ Prælaturis adjunctæ, quarum proprietas ad ipsos pertinet pleno Jure, Astan, Powocz, Prewod, Strota, Podwozowe, omnibusq; angariis ac perangariis Juris Polonici, quocunq; nomine nuncupentur, penitus sint exemtæ, ita, ut nec Rustici seu Coloni, qui pro servitio ipsorum in villis prædictis fuerint collocati, coram Castellariis nostris teneantur in casu quolibet respondere, sed tantum* coram Nobis, aut Judice Curiæ nostræ, citati per literam & per nuncium comparebunt.

Pro Sanctuario quoq; qui ministret, atq; deserviat Ecclesiæ supradictæ, assignamus *decem mansos censuales in villa Danielovvitz, quam emimus â Milite nostro Henrico, filio Danielis, volentes, ut Custos Ecclesiæ* S. Crucis *teneatur eidem de suis proventibus tres marcas, annis singulis impartiri.*

Pro Succentore etiam qui deserviat Ecclesiæ S. Crucis, assignamus, *& damus ei, qui ad hoc officium fuerit deputatus, reditus annuos sex marcarum in locis subscriptis; in mansis censualibus ante Provvozu quatuor marcas & fertonem, in mansis, ante Civitatem Reichenbach collocatis, marcam & mediam, in molendino de Pilavia fertonem in censu, volentes insuper, ut idem Succentor Cantori subjectus quatuor mansos annuatim recipiat ab eodem.*

Pro Magistro quoq; seu Rectore Scholarum assignamus, & damus *decem marcarum reditus in his locis: de allodiis Civitati Olsnitz adjacentibus sex marcas in censu, item de censu mansorum, ac hortorum, adjacentium oppido no-*

do nostro Nemtz, quatuor marcas, statuentes, atq; mandantes, ut Scholasticus, per quem idem Rector Scholarum eligendus fuerit, de suis proventibus sex marcas singulis annis impertiatur eidem.

Volumus autem, & sub fidei commissi lege præcipimus omnibus Nostris Hæredibꝫ, cunctisq; quos Divina Clementia Nobis ex asse seu ex parte providit, Successoribus, ut præsentis Insinuationis eulogium benigno prosequentes adfectu, Ecclesiam S. Crucis cum Personis, bonis, ac hæreditatibus suis defendant, & foveant, ipsiusq; proventus multiplicent, non defalcent, ac eandem suis honoribus non deprimant, sed subliment.

Si quis autem tam salubre, tam pium, tam providum nostræ liberalitatis arbitrium ausu propriæ temeritatis infregerit, velut hostis & adversarius Crucis Christi, violentus Cœlicæ Mis invasor reum Se æternæ damnationis constituat, nostræq; dispositioni contrarius, velut Heris ingratus, gratus, successionis nostræ jure privatus titulo, cœlestis vindictæ sententiam præstoletur.

Volumus autem, ut in eadem Ecclesia à personis, quæ nunc instituuntur ibidem, aut pro tempore fuerint institutæ, Anniversarius Noster, ac Uxoris nostræ, nec non Patris & Matris nostrorum, Domini quoq; Uladislai, quondam Saltzburgensis Episcopi, Patris nostri, Inclytorum quoq; Principum, Domini Ottokari, quondam Bohemiæ Regis, ac Domini Boleslai, Ducis Cracoviæ, Avunculorum nostrorum, per annos singulos solenniter peragatur.

Quia verò gesta, quæ in publica monumenta deveniunt, perpetuam obtinent firmitatem, Nos, ad æternam rei memoriam, præsentes literas conscribi fecimus nostriq; Sigilli munimine roborari.

Venerabilis quoq; Pater, Dominus Thomas, Vratislaviæ Episcopus, suprascripta omnia, coram ipso Capitulo seriotenus publicata, ratificavit, laudavit, ipsisq;, unà cum suo Capitulo, confirmatio-

firmationis condignæ robur impendit, faciens in signum confirmationis ac ratificationis omnium præscriptorum præsentes literas Sigilli sui appensione signari, in violatores donationis nostræ præsentis, ac bonorum Ecclesiæ S. CRUCIS *malefi-cos invasores Excommunicationis sententiâ solenniter promulgatâ.*

Actum Vratislaviæ, Anno Domini M.CC.LXXXVIII. *Tertio Idus Januarii.*

Præsentibus venerabilibus Patribus *Dno. Jacobo Gnesnevi Archi-Episcopo, necnon Dno. Thoma Vratislaviæ Episcopo, Dno. Broslao Præposito, Dno. Milcio Decano, Dno. Joanne Cantore, Dno. Nicolao Custode, Dno. Heinrico Archidiacono Lignicens., Dno. Bernhardo Præposito Misnens., Dno. Joanne Decano Glogovien s., Dno. Leonhardo Decano Oppolien s., Dno. Joanne Archidiacono Landschutzen si., Dno. Petro Cancellario, Magistro Martino, Dno. Martino de Carlowitz., Dno. Arnoldo Plebano S. Mariæ Magdalenæ, Magistro Petro Lapide;* Prælatis & Canonicis Vratislavien sibus, *Domino Petro Præposito* S. CRUCIS, *Joanne Decano, Jacobo Scholastico, Conrado Custode, Magistro Thoma Giselhero, Hermanno, Heinrico, & aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ.*

Datum per manus Magistri Ludovvici, Notarii Curiæ nostræ.

Num. X.

EPISCOPATUM Vratislavien sem olim jam BOHEMIÆ REGUM imperio inclusum fuisse, DOCVMENTVM Regiarum literarum primum.

In nomine Domini,
Amen.

NOS JOHANNES DEI Gratia, Rex Bohemiæ, Lucemburgensis Comes, Dux & Domin9 Vratislaviensis, considerantes sinceritatis affectum, quod Reverendus in Christo Pater, Dominus Pretzlaus, Vratislaviensis Episcopus, Nobis studuit synceris affectibus complacere;

Nos affectantes *eidem Domino Episcopo, vel qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Capitulo, ac toti clero seculari Civitatis, & diœces. Vratislavien. in nostro temporali dominio constitutis, & specialiter Ecclesiæ nostræ Glogovienſi,* grata favoris nostri vicissitudine occurrere, ac ipsos Regiâ benignitate reddere consolatos, ut & ipsi quietem consecuti & pacem, nostris adjuti beneficiis, in pace pacis Domino liberiùs valeant famulari, omnes gratias, privilegia, indulgentias, & libertates, per quoscunq; Duces, Comites, Barones, Prædecessores nostros, in Civitate & diœces. Vratislav. *& specialiter & præcipuè per bonæ memoriæ Dominos Principes, Dominos, Henricum primum, Henricum* II,dum *Henricum* III,tium *Henricum* IV,tum *Henricum* V,tum *Sextum & ultimum, tunc Duces Silesiæ, & Dominos Vratislavienses, nec non per Dominos Conradum, & Bulconem, olim Duces Glogoviæ, & per nostram Majestatem Regiam* concessas & datas, seu concessa & data, ratas & gratas, rata & grata habentes, eas & ea, cujuscunq; continentiæ & tenoris existunt, recognoscimus, innovamus, approbamus, & nihilominus ex certa nostra scientia præsentibus confirmamus;

Promittentes bonâ fide, & sinceriter

in his ſcriptis Reverendo in Chriſto Patri Domino Pretzlao, DEI & Apoſtolicæ ſedis gratiâ, Vratislavienſi Epiſcopo prædicto, præſenti & recipienti, vice & nomine ſuo, & Eccleſiæ, & Capituli Vratislavien. nec non Cleri ſecularis, manu tenere ſemper, atq; inviolabiliter, & illibatè ſervare gratias, indulgentias, libertates, & privilegia omnia, ſupradictas, & etiam ſupradicta; *Epiſcopum, & Capitulum, ac Clerum ſecularem prædictum, contra quoscunq; Reges, Duces, Comites, Barones, Tyrannos, ſpoliatores, moleſtatores, injuriatores, & perturbatores ipſorum, cujuscunq; conditionis, aut ſtatus extiterint, defenſare, ac ipſos, ac ipſorum bona, terras, defendere & conſervare,* absq; omni dolo, ſcrupulo; poſtquam perceperimus eos, aut ipſorum aliquos moleſtari, & perturbari, in perſonis, rebus, vel juribus ipſorum, vel ipſis injurias irrogari, aut

ri, aut poſtquam ipſi vel aliqui Nobis ſpolia, moleſtias, injurias, vel perturbationes ipſorum intimaverint, auxilium à Majeſtate Regia poſtulantes;

Exceptis duntaxat Illuſtriſs. Principibus, Dominis, Heinrico Javorenſe & Bulcone Schwidnitzenſe, Ducibus, contra quos interris ipſorum ipſum Dnum. Epiſcopum, Eccleſiam, & Capitulum, prædictos non tenebimur adjuvare, niſi forſitan iidem Duces ipſum Dominum Epiſcopum, Eccleſiam, ſeu Capitulum, in bonis Epiſcopalibus, Eccleſiæ ſeu Capituli prædictorum, in Ducatu Vratislavienſi ſeu Ducum aliorum Vaſallorum noſtrorum ſitis, perturbare forſitan conarentur, tunc Epiſcopo, Eccleſiæ, Capitulo, prædictis contra prædictos Duces ad præſtandum eis auxilium & juvamen volumus obligari.

Insuper Episcopo & Capitulo memoratis promittimꝰ datâ fide, quod Nos, aut primogenitus noster, Marchio Moraviæ, *Episcopum & Capitulum Uratislavienſis Ecclesiæ, & Clerum secularem Ecclesiæ Civitatis & diœces. Uratislavienſis, & Laicos subditos quoscunqꝫ in bonis Uratislavien. Ecclesiæ consistentes,* nullo unqam tempore quomodolibet aggravaminibus, exactionibus, solutionibus, collectis, petitionibus pecuniarum, animalium, annonarum, servitutum, vecturarum, vel aliarum angariarum seu perangariarumꝫ, quocunq; censeantur nomine, aut de censibus, vel Stationibus ad villas, vel allodia Episcopi, Capituli, & Ecclesiæ prædictorumꝫ affligere velimus, sed juxta privilegiorum suorum tenores ipsis in his scriptis plenam, meram, & omnimodam concedimus libertatem.

In quorum omnium testimonium & robur, perpetuò valiturum, præsentes conscribi, & appensione Sigilli nostri voluimus communiri.

Datum Parisiis, quarta Die Mensis Octobris, A. Dni. M. CCCXLII.

Num. XI.

DOCUMENTUM

Episcopalium literarum secundum.

NOS PRETZLAUS, DEI Gratiâ, Episcopus, Petrus de Luna *Præpositus, Joannes de Lichtomischel Cantor, totumqꝫ Capitulum Uratislavienſis Ecclesiæ, notum facimus tenore præsentium universis:*

Quod Sereniſſimus ac Invictiſſimus Princeps,

ceps, & Dominus, Carolus, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Illuſtris Domin⁹ & Patronus noſter gratioſus, tanquam Bohemiæ Rex, *Principatus, Ducatus, terrarum, diſtrictuum, & Civitatis Uratislavienſis, Oppidi Noviforenſis & aliorum Oppidorum, & omnium, quæ pertinẽt ad præmiſſa, hæreditarius, ordinarius, ac naturalis Dnus; & legitimus hæres exiſtit; ſicut etiam claræ memoriæ Illuſtris Princeps Dnus Joannes, quondã Bohemiæ Rex, Ipſius Genitor, pro Se, Hæredibus, ac Succeſſoribus ſuis, Regibus Bohemiæ, & ejusdem Regni Coronâ, omnia prædicta, & eorum quælibet ex donatione, piæ recordationis, Illuſtris Principis quondam, Domini Heinrici* VI, *& ultimi Ducis Uratisl. hæreditario juſto & legitimo titulo poſſidebat.*

Et quod omnium Principatuum & Ducatuum, omnium & ſingulorum Principum ſive Ducum Sileſiæ & Oppolien., quibus etiam ſpecialibus appellantur nominibus, Ducatu Schvvidnicenſi & Jaurenſi duntaxat excepto, vero, utili, & immediato dominio eſt (prout univerſalis cunctorum habet notitia) Superior Dominus generalis:

Et Principatus, nec non Ducatus prædicti cum omnibus dominiis, honoribus, juribus & pertinentiis ſuis, ab eo, tanquam Rege Bohemiæ, & à Coronâ Regni præfati *in feudum dependent:*

Et hoc Principes & Duces prædicti, in noſtræ conſtituti præſentia, confeſſione notoriâ publicè fatebantur, profitendo, qualiter præfato Domino noſtro Imperatori, tanquam Regi Bohemiæ, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis, Bohemiæ Regibus, & ejusdem Regni Coronæ, *tanquam veris, naturalibus, hæreditariis & legitimis Dnis ſuis, pro Se ac Hæredibus ſuis Schleſiæ & Oppolienſibus Ducibus præſtiterint homagii, fidelitatis, obedientiæ, & ſubjectionis*

debita ac ſolemnia juramenta :

Et quod prædicti Ducatus Sleſiæ, & Oppolienſis, nec non Ducatus & Civitas Vratislavienſis, & etiam alia Oppida terræ, diſtrictus, & pertinentiæ, cum omnibus dominiis, honoribus, juribus ſuis, Regno & Coronæ Bohemiæ *ex communi voluntate, voto & conſilio eorum Principum, & etiam aliorum, quorum ad hoc requiri debebat aſſenſus, uniti & incorporati ac inviſcerati ſunt, & eſſe debeant, adeò irrevocabiliter & inconvulſi, ut à præfatis* Regno & Corona Bohemiæ *ſcindi, dividi, ſeu alienari non debeant quovis modo, & hoc Principum prædictorum, ceu aliorum ſimiliter, quorum intereſſe potuit, juramentis corporalibus ſolenniter approbatum.*

Et cum Epiſcopalis ſedes & Cathedra Eccleſiæ noſtræ Vratislavienſis *noſcantur ſita in Civitate Vratisl.*

prædicta, quæ Civitas, ut præmittitur, Regno & Coronæ Bohemiæ, ac Domino Imperatori præfato, tanquam Regi Bohemiæ, eſt immediatè ſubjecta, qui Nobis, & Eccleſiæ noſtræ prædictæ, multas ſpeciales munificentias de Regia magnificentia noſcitur contuliſſe; ob hoc gratâ viciſſitudine Sibi, ne tantorum beneficiorum ſimus ingrati, occurrere cupientes, animo deliberato, non per errorem, aut improvidentiam, ſed maturo, & communi præcedente conſilio, pari omnium noſtrûm voluntate, voto pariter, & aſſenſu, Nobis ob hæc pluries perſonaliter in Capitulo congregatis, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, *in perpetuum recognoſcimus, & tenore præſentium publicè profitemur :*

Quod præfatus Dominus noſter Imperator, tanquam Bohemiæ Rex, pro Se, Hæredibus & Succeſſoribus ſuis, Bohemiæ Regibus, & ejusdem Regni Corona,

est Patronus noster Principalis & Dnus ratione Vratislavienſis Eccleſiæ, & bonorum ipſius, quæ habemus in communi, vel in ſingulari, in terris ſeu diſtrictibus Vratisl. Noviforen. Franckenſteinen. & Namslavienſi, *quas & quos in præſentia nunc obtinet Ipſe, ſui Hæredes, aut Succeſſores, Reges Bohemiæ, favente Domino, futuris temporibus obtinebunt:*

Quodq; ad Ipſum, Hæredes, & Succeſſores ſuos, Bohemiæ Reges, Regnum & Coronam Regni Bohemiæ, tanquam principalem Patronum & Dominum noſtrum *tenemur, & volumus fidelem habere reſpectum, ac Ipſos,* tanquam Principales Patronos, & Dominos noſtros, *juvare fideliter, &, ſicut expedit, dignis honoribus venerari.*

Et licet quædam alia bona noſtra & Eccleſiæ noſtræ prædictæ ſint hinc inde in terris & Principatibus Ducum & Principum Sleſiæ, & Oppolien.,

polien., & Regno Bohemiæ incorporatis & unitis, ut præmittitur, quia tamen omnes Principatus hujusmodi, à Regno & Corona Bohemiæ in feudum dependent, idcirco fatemur, etiam bona noſtra eadem (præterquam illa, quæ ſunt in Schwidnicenſi & Jaurenſi Ducatibus) fore in Regno Bohemiæ conſtituta. *Proteſtamur tamen expreſsè; quod bona hujusmodi ad nulla onera pecuniaria, Perſonalia, ſive realia ſint cuiquam penitùs obligata;*

Promittentes bonâ fide noſtrâ, ſine omni dolo præfatis Dominis & Patronis noſtris, Bohemiæ Regibus, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, *quotiescunq; noſtrum Regem, Bohemiæ Dominum, & Patronum mori contingeret, quod tunc* Epiſcopus Vratislavienſis, *qui pro tempore fuerit, una cum melioribus Prælatis, Eccleſiæ nominæ & vice ſui, & Capituli,* ad Coronatio-

nem futuram Regis, tanquam ad ſolennitatem & gaudium Patroni & Domini noſtræ Vratisl. Eccleſiæ, *tenebuntur & debebunt accedere ibidem Coronato Regi ſtatim, ab Ipſo Oppidum* Grotkau, *cum ipſius terra, ac diſtrictu, & omnibus ac ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis, nomine Vratislavienſis Eccleſiæ* in feudum *ſuſcipere, & Ipſi ſuſceptionis hujusmodi* Juramentum homagii, fidelitatis, & obedientiæ, & ſubjectionis, *quod aliâs præfato Dno noſtro Imperatori, tanquam Bohemiæ Regi, ratione Oppidi & terræ jam dictorum præſtitimus, ſolemniter, innovare; ac* Ipſe Vratislavienſis Epiſcopus, *qui pro tempore fuerit, velut alii Principes Ligii,* Capitulum verò ejusdem Eccleſiæ, *tanquam vaſalli Regni, & Coronæ Bohemiæ omnia & ſingula facient, quæ* juxta Privilegia & conſuetudines Regis & Coro-

Coronæ Bohemiæ, *facere tenebuntur totiens, quotiens, caſuum mutabilitate poſcente, in morte Regis Bohemiæ, ſeu Vratislavienſis Epiſcopi fuerit opportunum, exactionibus, ac cæteris gravaminibus exceptis, ad quas & quæ non recognoſcimus Nos teneri, ut etiam Reſpublica, Regis & Coronæ Bohemiæ pro magnificentia, Patroni, & Dominorum noſtrorum, Bohemiæ Regum, & ſubditorum Regis prædicti gratâ ſalute, felicia quædam incrementa ſuscipiens, felicibus autore* Deo *ſucceſſibus augeatur.*

Promittimus bonâ fide noſtrâ, & ſine omni dolo, præfato Dno noſtro Imperatori, tanquam Bohemiæ Regi, Hæredib⁹, & Succeſſoribus ſuis, Bohemiæ Regibus, *quod nulli unquam Regi, Principi ſeu alteri perſonæ, vel hominibus, cujuscunq; dignitatis, gradus, ſeu conditionis exiſtant, qui Regni & Coronæ Bohemiæ Principes, Principatus, & Ducatus, Comitatus, Vratislaviam, & alia ſimiliter in noſtra*

Vratis-

Vratislavienſi diœceſi, ſeu alibi ſitos aut ſita, nec non dominia, jura, metas, ſeu pertinentias ipſorum impugnare, offendere, vel invadere niterentur, adverſus Dominos & Patronos noſtros Bohemiæ Reges, *qui pro tempore fuerint, præſtabimus, aut faciemus præſtari, aut fieri ſuſtinebimus â Nobis, vel noſtris ſubditis auxilium, conſilium, vel favorem:*

Imò omnes & ſingulas munitiones noſtras, & Eccleſiæ Vratislavienſis, nominatim terræ Niſſenſis, (*quæ terra Niſſenſis, diſponente Domino, præterquam ad ſupra ſcripta & infra ſcripta præmiſſa juvamina libera ſemper extitit, & exiſtit*) *ac alias munitiones, ubicunq; fuerint conſtitutæ, adverſus invaſores, impugnatores, ſeu offenſores quoslibet, complices adjutores, & fautores eorum præfato* Domino noſtro Imperatori, tanquam Regi Bohemiæ, Hæredibus, ac Succeſſoribus ſuis, Bohemiæ Regibus, Capitaneis, & Officialibus, & hominibus Ipſorum, *cum & quotiens oportunitas illud exegerit, pro defenſione Principatuum, Ducatuum, Dominiorum, Jurium, pertinentiarum, & bonorum Regum, Regis, & Coronæ Bohemiæ, qui & quæ exprimuntur ſuperius, promittimus, debemꝰ, & volumus aperire fideliter, & efficere & procurare per omnes homines Officiales, & Commiſſarios noſtros, abſq; cujuslibet difficultate.*

Sic tamen, quod idẽ Dominꝰ noſter, Hæredes, & Succeſſores Ipſius, Bohemiæ Reges, non facient cũ invaſoribꝰ, hoſtibꝰ, & æmulis hujusmodi, præter voluntatẽ noſtram concordiã, vel quod aliàs *reddamur indẽnes, ac contrà omnes & ſingulos invaſores, oppreſſores, & moleſtatores Noſtros, Eccleſiæ noſtræ, & bonorũ ipſiꝰ tueantur pro viribus & defendant.*

Harum, quibus Sigilla noſtra, noſtrûm, & Capituli dictæ noſtræ Vratislavien Eccleſiæ, ſunt apprenſa, teſtimonio literarum. Actum Vratislaviæ ultima die Menſis Novembris.

Anno Domini M. C C C. L V I I I.

Num. XII.

CAROLI

Austriæ ArchiDucis

I.

Episcopatum Vratislav.

tutelari

POLONORUM REGIS

Patrocinio

committentis,

II.

Ducum & Magistratuum

SILESIÆ

feuda

Irrumpentium cupiditati

offerentis,

ad

ARCHIEPISCOPUM

Gnesnensem

Literæ.

Illustris-

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME

Domine, Amice Charissime.

PRovocavit Nos Reverendissimam Dominationem Vestram *hisce nostris compellare literis; tum ea, quam Sedi Metropolitanæ antiquitùs debemus, connexio; tùm R.simæ Dnis Vestræ, quam ex Generosissimo, Magnifico, fideliter Nobis dilecto,* Sigismundo Opacky de Opaca, *Regiæ Poloniæ & Sveciæ M.tis & Dilectionis Camerario, & supremo Stabuli præfecto, nec non nostro Camerario, uberrimè accepimus, pia & paterna prorsus erga afflictam Ecclesiam nostram sollicitudo.*

Experimur etenim quanta industria hostes Religionis Catholicæ ad Nos opprimendum sese conjungant, nec Nos ad propulsandum aliâ methodo potentiùs accingi arbitramur, nisi eâ, quam

 super-

ſuperna Unitas *cunabulis Epiſcopatus noſtri Vratislavienſis primitûs indiderat, conjunctione viciſſim coaleſcentes, quam in rem ſedulò & antiquioribus incumbemus curis.*

Præterea cenſemus R.ſimam D.nem V.ram abundè perſpexiſſe, quò in diſcrimine Eccleſia noſtra Vratislavienſis, quin imò totus, qui ſupereſt, Catholicus ſtatus *calamitoſo hoc furiarum hæreticarum ſeculo volutetur; & quemadmodum virus peſtilentiſſimum ſeditionis & perſecutionis ad funeſtam Catholicorum extirpationẽ dietim gravius ſerpat & invaleſcat; non adeò, quod diverſos ritus à noſtratibus ſectariſtudeant; ſed magis ut illius rei prætextu ad bona Eccleſiaſtica aditum ſibi parent, ea diripiant, rem ſuam per illa augeant, atq; hanc Patriam, quæ olim pro Romana Eccleſia ſæpè arma contra* Huſſitas *induit, adflictent, confundant, graviſſimâq; ruinâ involvant.*

Incredibile enim eſt, quantâ inſaniâ Principes, præſertim hujus Provinciæ, in Bohemicæ Religionis tendiculas prolabantur; in perniciem Regis Sereniſſimi, & everſionem Catholicæ Religionis conjurent; Articulos verè Sacrilegos, quibus Magiſtratum tàm Eccleſiaſticum, quàm ſecularem, obruere geſtiunt, unanimi ſuffragio conſtituant; quemadmodum R^da D^tio V^a ex incluſo Concluſionum Bohemicarum exemplo fuſius intelliget. *Et niſi Chriſtianorum Regum ac Principum potentiâ comprimatur, brevi futurum eſt, ut nulla ſit ſubditorum erga Principes & Antiſtites obedientia, nullus ordo, nulla ſuperioritas, nulla religio, niſi quam peſſimus quisq; libidine ſui animi ſuſceperit.*

Quæ clades finibus noſtris adeò vix coërcebitur, quin etiam ad vicinum Poloniæ exuberet atq; erumpat Regnum.

Cui ut poſtifero, ita communi malo, extremâ hac rerum viciſſitudine aliundè facilius & tutius occurri non poſſe videmus, quàm ex tutelari patrocinio contermini Poloniæ Regni: Inde etenim orbata noſtra Eccleſia defenſionem jure quaſi ſuo petit, unde olim fundationem accepit;

Sub verbo Matris Archiepiscopatum Gnesnensem intelligit.

nec fieri posse autumat, ut Mater Filiæ suæ obliviſci, multò minus eidem deesse unquam possit.

Quâ fiducia in R.ssmam D.nem V.ram innixi, consilium, quod sese rebus sic afflictis insinuat, eidem exponere, trutinæq; & censuræ ejus porrigere duximus.

Duces, & Magistratus, qui non tàm imitatores, quàm autòres turbarum Bohemicarum contra Regem suum sese exhibent, per Feloniam commissam, ut Vassalli omnibus suis Feudis de jure exciderũt; *Executio dũtaxat desideratur, quæ non incongruo forsitan possit contingere modo.*

Concluſum est proximâ Vratislavienſi diætâ, confinia Sileſiæ, Regno Poloniæ contermina, omni ex parte fossis & fortificationibus circumdare.

Est autem circa hujusmodi quæstiones finium talis confusio, ut undiquaq; in lite & incerto consistant, adeò ut nullo in loco, absq; controversia & læsione finitimi fundi, id ipsum effici valeat.

Quo quidem ex opere, veluti novo, & suspecto, non modò inclytum Poloniæ Regnum injuriam allegare, verum etiam illi, qui in limine Regni habitant, de fundorum suorum dispendio, justam querelam & gravamen depromere possent, sub hac ansa, si Sereniſſimus Rex Ferdinandus, cum offensis illis Regni Poloniæ incolis, vel certè aliis, qui ad hoc negotium aptiores esse videantur, irruptiones in possessiones Principum conterminas pro executione eâ committeret lege, ut viribus & sumptibus suis Feuda, juris & facti dispositione caduca, occuparent, & tàm diu eadem (subjectione tamen Regi Ferdinando salvâ) usurparent, quoadusq; refusionem cum lucro inde excipere & reportare possent.

Super quo quidem antequam cum sereniſſimo Fratre nostro Ferdinando *eâ de re quicquam communicemus, nobis prius R.mæ D.nis V.æ implorandum duximus & prudens consilium, & præsens auxilium.*

Præterea R.mam D.nem V.am enixè rogamus, ut eâ, quâ plurimum pollet, & potest, authoritate, imò celebri suo in protegendo divino cultu fervore, & in Ecclesiam nostram, jàm jàm præcipitantem,

tem, patrocinio, Sereniſſimum Sigismundum III. *Regem Poloniæ, & Sveciæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, &c. Dominum Adfinem, & Patrem noſtrum obſervantiſſimum, & diſponere, & cohortari non intermittat, ut* Sua M^tas Regia *Regno ſuo appropinquantem & jam minitantem tàm ingentem Chriſtianæ Religionis cladem graſſari, & tàm pia* Avorum Suorum *ad æternam* DEI *gloriam à ſtirpe fundata ſacraria, poſſeſſiones, & bona, à* religioſiſſimis Principibus *locis ſanctis, & perſonis Eccleſiaſticis collata, nefandis applicari, & miſerè diſtrahi profanationibus, non concedat; quin potius pro Regiâ ſuâ virtute omni, quo poſſit, ſtudio adniti dignetur, ut in cauſa Religionis periculum, maximè ad eandem pertinens* brachio & viribus ſuis, *quibus, ad defendendam Eccleſiæ ſalutem, cum inclutis Regni ſui Optimatibus à* DEO *præ aliis mundi Rectoribus cumulatiſſimè adaucta exiſtit, maturè ſuccurrat;* Sereniſſimam Domum noſtram, *unicam in hiſce partibus Religionis Catholicæ, pro eâ, quæ ad Sereniſſimam Poloniæ progeniem redundat,* ſucceſſione, *hæreditariis Regnis & dominiis ob cauſam* DEI *tàm turpiter & immeritò exui non admittat.*

Nos viciſſim hoc non modò erga M.tem Suam Regiam, verum etiam erga Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, cui omne, quicquid inde in effectu boni in communem Religionis cauſam derivabitur, gratum & acceptum feremus, cum tota Sereniſſima familia noſtra *omni, quo par eſt, & ſtudio & officio rependere enitemur.*

Datum in Civitate reſidentiæ noſtræ Epiſcopalis Niſſa 14. Auguſti, Anno 1619.

Carolus DEI gratiâ
Archidux Auſtriæ.

Num. XIII.

SIGISMUNDI III. Polonorum Regis

Ad Senatorem quendam Regni

Literæ,

Consilium ejusdem

de

Conatibus

TRANSYLVANI

in Hungaria,

nec non

PRINCIPUM & ORDINUM

in Silesia,

reprimendis

privatim requirentes.

SIGIS-

SIGISMUNDUS TERTIUS,

DEI Gratiâ, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæq; nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex.

MAgnifice, syncerè Nobis dilect, Non latet Synceritatem Vestram, qualia insperata proposita aggressus sit Palatinus Transylvaniæ, & quales in Regno Ungariæ brevi hoc tempore motus excitarit.

Quâ de re crebris à Dominis Senatoribus nostris acceptis literis, quibus monemur, ut in tali vicinitate maturè Nobis provideamus, ac de omnimodâ ac promtâ expeditione tempestivè cogitemus, scripsimus primùm ad D. D. Senatores Palatinatus Cracoviēsis; *Universales quoq; literas* ad Incolas & Capitaneos, Ungariæ finibus vicinos, *misimus, ut tàm de armis, quàm de milite diligenter*

genter sibi provideant; significavimus simul Magnifico Cancellario, Exercituum Duci nostro, ut partem aliquam exercitus, quam minùs sibi utilem intelligeret, ad fines Hungariæ convertat; sub id tempus quoq; Cubicularium nostrum ad eundem Palatinum Transylvaniæ cum literis nostris ablegavimus, ut sic simul ac semel Ipsum commonefacere, & explorare posemus.

Licet verò benignè ac placidè in primo hoc aggressu conatuum suorum seſe gerat, ut sic celeritate, cui potissimum confidit, eò faciliùs ausus suos ad effectum deducat, in literis tamen, ad Nos datis, id manifestè declarat totam hanc belli facem Se scitu ac voluntate Turcici Imperatoris accendisse.

Quapropter ut & securitati ab aliis partibus prospiciatur, & instantiæ Imperatoris Christiani satisfiat, ei secundum pacta recenter in Comitiis Prespurgensibus renovata concessimus, ut exercitum Liscovianorum stipendiis suis conducere possit. Quod ut ipsi annueremus, non minori in causa fuit, ut nimirum exercitus hic dissolutus in exteris potius Regionibus militaribus officiis occupatus, quàm in Regno, non sine deprædatione miseræ plebis, hyberna hæc transigat.

Quoniam autem harum rerum omnium incertus est finis, nec sciri potest, qualem exitum sortientur, cogitare, & consulere ulterius oportet, ut solido ac fundamentali consilio ejusmodi periculis tempestivè obviam eatur; siquidem (quod absit) homo hic ambitione plenus, Ungariæ Diademate potitus, ac animis indè sumtis, procul dubio vellet effrenatæ suæ cupiditati ulteriùs frena laxare, & latiùs fines dominii sui promovere; ad quam rem dubitandum non est, quin ipsi Turcæ (siquidem, ut vulgo fertur, jam Machometanam Religionem susceptit) auxilia & subsidia ei conferrent, qui etiam nunc quoq; intentos oculos habent, utrum feliciter res cadet, ac circa latus ejus catervatim in castris ejusdem obversantur.

Quaproper, quâ ratione hoc propositum, tàm periculosum infringi, & conatus adeò damnosi impediri possint, requirimus à Synceritate V.ra ut Nobis modum per literas demonstret, & Consilium suum, quicquid in hoc negotio commodissimum putabit, communicet.

Ad hæc ab alterâ parte Silesiã diligenti oculo intueri necesse est, quæ Bohemis juncta expressè jam & apertè rebellionem fecit, & quod maximum est, Catho-

licam Religionem impugnat, & nominatim ad Juramentum ſuper quibusdam Articulis impiis, & iniquis, adigens, vim Eccleſiæ Cathedrali Vratislaviēſi infert, *quæ, prout Sync. V.ª notum eſt, à piæ memoriæ Anteceſſore noſtro* Vladislao *fundata, protectioni & defenſioni noſtræ* ſecundum pacta antiqua *ſubjacet, & ad Jurisdictionē* Archiepiſcopatus noſtri Gneſnenſis *ſpectat, id quod* Archidux Carolus, *qui apud Nos eſt, modernus Epiſcopus Vratislavien. fatetur.*

Eſt itaq; res conſideratione digna, ne vel incuriâ rerum, ad Nos antiquitus pertinentium, quicquam amittamus, vel per ſocordiam, & inpromtitudinem detrimenti aliquid patiamur, ac periclitemur.

Nam, ſiquidem in tam proxima vicinitate populus univerſus arma ſumit, ac exercitus vexilla ſua explicant, verendum eſt, ne ſucceſſu temporis aliquid aliud præſumere ac machinari velint,

Præterea Imperator *ipſe auxilia noſtra hic implorat, cui jam ſecundum ſupra nominata* pacta, *ut militem in Regno hoc propriis ſuis impenſis conſcribat, concedere tenemur, nihilominus modum aliquem ſolidiorem ad defenſionem providere, ac nullâ interpoſitâ morâ (ſiquidem in celeritate hac in parte multum ſitum eſt) eundem ad effectum deducere oportet.*

Hoc quoq; propoſuit Nobis Archidux, *ut, noſtro permiſſu, ac ſcitu, præcipuos hujus Regni homines, qui Archiduci ſtudia ſua ac optimam voluntatem erga Celſitudinem ſuam ultrò offerunt, poſſit, quotcunq; erunt, pro parte ſuâ* in Sileſiam *ſive ære proprio ſive aliis modis pertrahere, Nos verò irrequiſitis D. D. Senatoribus noluimus ipſi reſolutionem finalem dare.*

His itaq; univerſis & ſingulis punctis, cum eorum circumſtantiis, Sync. V.ª diligenter apud ſemetipſam cõſideratis, ſententiam ſuã Nobis declarabit, & quicquid in his negociis, Reverendiſſimũ Principem afficientibus, cordi ipſius DEUS & amor Patriæ inſtillaverit, ſyncerè ſignificabit.

Quâ in re & debito Senatoris officio, in *quo ſedulam ſeſe ſemper præſtitit, fungetur; & Nobis rem gratam & acceptam Sync. V.ª faciet; cui proſperam valetudinem à* DEO Opt. *Max. precamur.*

Dabantur Warſaviæ, *Menſe* Octob. *Anno Domini* 1619. *Regnorum noſtrorum Polonici* 32. *Svedici* 26. *Anno.*

Sigiſmundus Rex.